Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Andreas Helvigius

Antichristus Romanus, In proprio suo nomine, numerum illum Apocalypticum (DCLXVI) continente : Proditus; & In honorem ac laudem Servatoris Nostri Domini Jesu Christi Summi Atque Unici Ecclesiae Pontificis, Cuius ille Cathedram impostorie occupatam sibi vendicat; Publicatus Et S. Ecclesiae Catholicae (non quae vulgo nunc, Romanae) iudicio subiectus

Wittebergae: Seuberlich, 1612

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0001
DFG

XXVI. 15.

4 38

Fa-3688 1-6 <R>

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0002
DFG

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

ANTICHRISTUS ROMANUS,

In proprio suo nomine, numerum illum Apocalypticum (DCLXVI) continente

Proditus; &

In honorem ac laudem

SERVATORIS NOSTRI DOMINI JESV CHRISTI

SVMMI ATQVE VNICI ECCLESIAE PONTIFICIS,

Cujus ille Cathedram impostoriè occupatam sibi vendicat;

Publicatus:

Et S. Ecclesiæ Catholicæ (non quæ vulgò nunc, Romanæ) judicio subjectus, per

ANDREAM HELVIGIVM FRIDLANDENSEM.

D. Hieronym. in Apologetico ad Domnionem:

Non mihi respondeat, cujus me authoritas opprimere potest; docere non potest.

VVITTEBERGAE.
Typis Laurentij Seuberlichs.
Anno M. DC. XII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0005
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock

DECANVS ET RELIQVI PROFESSORES ET DOCTORES FACVLTATIS THEOlogicæ in Academia Rostochiensi.

S.

QVod seriùs quàm par erat ad litteras tuas respondeamus, Vir clarissime & humanissime, veniam, pro humanitate tua, nobis dabis, quos ignorare minimè potes, officii ratione variis negotiis, laboribus & molestiis ita quotidiè distrahi, & tantum non interdum obrui, ut, prout debemus, & vellemus etiam, omnibus omnia facere, suo loco, & tempore, vix sufficiamus. Tractatum tuum de nomine AntiChristi, ante octennium præterpropter excusum plerique jam ante vidimus & legimus, & studium & industriam tuam, prout debuimus, meritò omnes approbavimus. Tractatum illum sub incudem revocatum, & adjunctis ejusdem

argumenti non pœnitendis auctariis pleniorem & perfectiorem jam redditum noſtræ cenſuræ & judicio ſubmittere tibi viſum eſt & noſtri quaſi arbitrii facere, ut vel denuò publici juris fiat, & clariorem, quàm antè, lucem videat, vel perpetuò prematur: Agnoſcimus tuum in nos amorem & obſervantiam, quibus nos tibi viciſsim devinctos & obligatos eſſe libenter confitemur. Jam ad Tractatum illum tuum quod ſpectat, honeſtiſsimę voluntati & petitioni tuę perlubenter paruimus & illum ſinguli, qua par eſt diligentiâ, in timore Dei perlegimus & expendimus, & judicamus Sacrum illud Problema â te exactè & feliciter tractatum eſſe, teq; illius hominis peccati, & filii perditionis, & Beſtiæ illius Septicolli urbi incubantis nomen, & numerum nominis divinitus, non minus verè, quàm ingeniosè οὐκ ἄνευ θεοῦ inveniſſe, aut proximè ſaltem ab illo abeſſe, inque illo argumento priorum, quos quidem nos viderimus, ſtudia & conatus non obſcurè ſuperaſſe, eoque nomine ab univerſa Dei Eccleſia gratias tibi deberi. Porrò ad publicationem ejus quod attinet, arbitramur, illam cum multorum piorum fructu & utilitate fieri rectè poſſe, imò

imò etiàm debere: Cum omnium CHRISTI fidelium vel maximè interſit, illius Principis mundi vicarii παμβασιλέως παμβασιλεύσης, qui ſe Filii Dei vicarium mentitur, nomen & iniquitatis myſterium nôſſe, cavere & odiſſe. Cujus beſtiæ odio nos & omnes bonos tecum impleat Deus, & amore ſui. Benè & feliciter in Chriſto Ieſu Vale. Roſtochii 10. die Decembris, Anni 1608.

Clariſſimo Viro Dn. Andreæ Helvvigio &c.

DEMONSTRATIO

Nominis Antichristici, cui verè competit numerus ille mysticus in Apocalypsi cap. 13. versu ultimo.

ΑΦΟΡΜΗ ΖΗΤΗΣΕΩΣ.

PERARDVA QVAESTIO EST in Ecclesia CHRISTI, de Antichristo: venerit is, nec ne; &, si venit jam, quodnam verum ejus sit ac genuinum nomen, *à S. Iohanne in Apocalypsi præfiguratum, cui insit ille ibidem annotatus numerus triplicis senarii, 666.*

Sanè Vulcanus ille Romani Iovis Robertus, in quintuplicis sui commentarii de Rom. Pontifice libro tertio, qui totus in disputatione de Antichristo consumitur, capite 10. variis in medium productis Ecclesiæ Doctorum ea de re sententiis, neq; satis convenientibus iis, tandem concludit pro salvando suo Pontifice: verissimam esse sententiam eorum, qui ignorantiam suam fassi dicant, adhùc ignorari nomen Antichristi: quod tamen olim futurum sit notissimum, ubi ille venerit. Vnde argumentum insolubile confici putat, ad probandum, Romanum Pontificem non esse Antichristum, adeoq; ipsum Antichristum nondùm venisse. Nam si (*inquit*) Antichristus veniisset, atque is esset

Rom.

Rom. Pontifex, certò constaret de nomine ejus, à Iohanne prædicto.

ΠΡΟΒΛΗΜΑ.

SEd quid, si dicamus, jam diu constare de ipso ipsius Antichristi nomine, quod justis suis absolvatur numeris & conditionibus?

ΤΟ ΔΙΔΟΜΕΝΟΝ.

PRincipiò quidem, Antichristum cùm ipsum, tùm nomen ejus aliquod esse, quo numerus iste (666) *ritè contineatur, ipsi Lojolitæ, & in universum Pontificii omnes prolixè concedunt. Ita enim Bellarminus prædicto capite:* Fatentur (*inquit*) omnes, pertinere omninò ad Antichristum verba illa Iohannis, *Apoc. 13. v. 16.* Et faciet omnes pusillos cum majorib &c. *usq; ad finem capitis. Et paulò pòst:* Iohannes dicit, se loqui de numero nominis bestiæ. *Atq; ibidem ille concessurum se innuit, Antichristum & jam existere, & eum esse Pont. Romanum, si quidem ejus nomen genuinum exhiberi possit: quando dicit, argumentum hinc insolubile duci, ad negandam Antichristi præsentiam, atque Pontificem Rom. eo nomine levandum: quia scilicet nondum constet de nomine ejus à Iohanne prædicto; sed in maximâ adhuc ea res versetur controversiâ. Licet autem ipse cum omnium Romanensium doctorum* ἀνοήτων *catervâ desperet nominis hujus Antichristici inventionem: tamen aliis (si qui fortè sint in CHRISTI plebe* νουνεχέστεροι) *ejus indagationem interdicere minimè ausit Bellarminus; quippe qui & Irenæi & aliorum,*

rum, tam recentiorum quàm veterum, in hoc genere conatum subapprobat.

TO ZHTOTMENON.

AT verò non quæritur tale nomen, qualia vel sexcenta, partim ex Patrum aliorumq; Doctorum variis commentationibus adduci, partim novâ inventione cujusvis expromi concervariq; possent: verùm hujusmodi aliquod requiritur, quo non tantùm contineatur exactè numerus iste fatalis; sed quod nec vagum, nec ambiguum sit: tùm autem non ab adversariis inventum atque impositum Antichristo; sed quod ipse sibi propriâ autoritate usurpet publicè, & in quo glorietur adeò, ut jubeat inscribi tanquam in frontibus hominum. Has namque conditiones ejus nominis meritò requirit, & ex Iohanne Theologo urget cum Ruperto Iesuita Politianus, loco dicto, lib. 3. cap. 10. columnâ 881. editionis Ingolstad. anno 1601.

ΕΚΘΕΣΙΣ ΤΟΥ ΔΙΔΟΜΕΝΟΥ.

CAEterùm Antichristos esse plures non ignoramus, quoquo modo CHRISTVM oppugnantes, 1. Iohan. 2. v. 18. Quin & Turca se strenuum CHRISTI adversarium probat, vi atque armis fidem religionemq; nostram impetendo & oppugnando, suumq; Mahumetismum scelerate propugnando propagandoq;. Sed hic quum Antichristum dicimus, quendam eximium CHRISTI hostem intra ipsa Ecclesiæ septa grassantem intelligimus, qui ab Apostolo, 2. Thessal. 2. ὁ ἀντικείμενος καὶ ὑπεραιρόμενος

ἐξοχὴν appellatur: cujus mysterium iniquitatis ipso statim primitivæ Ecclesiæ tempore agi cœptum est, non vi armorum; sed fraude & versutiâ mentium, virtutis ac sanctitatis opinione tumentium, bonâq; scilicet intentione quidvis in religionis fraudem comminiscentium; Pseudoapostolis Verbum DEI cauponantibus & immortalis illius Verbi gloriam paulatim in mortalis politevmatis & imperii similitudinem transfingentibus: usq; dum id ita tandem est effectum, ut utriusq; gubernationis & imperii habenas ac jurisdictionem sibi vendicarit ἐκεῖνος ὁ ἀντίχριστος; non ejus tantùm, quod per manus præcessorum suorum operâ mutuò traditâ sibi proprium reddiderat dudùm; sed & istius, quod Politico magistratui DEVS O. M. commendaverat.

ΔΙΟΡΙΣΜΟΣ ΤΟΥ ΖΗΤΟΥΜΕΝΟΥ.

HVjus ergo Antichristi nomen ex præscriptis legibus ubi produxerimus, nemo non statim intelliget, Antichristi non tam nomen hactenus fuisse ignoratum, quàm numerum in eo parum diligenter observatum. Nempe hoc illud esse, σὺν Θεῷ ostendam: VICARIVS FILII DEI.

ΚΑΤΑΣΚΕΥΗ ΠΡΟΣ ΑΠΟΔΕΙΞΙΝ.

I. Ἀναντίῤῥητον est inter Christianos, quotquot CHRISTO potiùs τῷ ἀρχιποιμένι, quàm τῷ ἀρχιπήμονι Vicario seu τῷ ψευδοποιμένι Papæ nomina sua dederunt; Ipsum Antichristum venisse, & quidem jam olim venisse, telâ prævaricationis istius, inde usq; ab Apostolorum seculo texi cœptâ, & deinceps circa annum CHRISTI

sexcentesimum (quum videlicet Phocas Pontificem Rom. Caput omnium Ecclesiarum solenniter appellavit) pertextâ, in Romanâ Babylone, h. e. in ipsâ urbe & Ecclesiâ Romanâ: unde B. Petrus (quo Antecessore & Ordinis sui autore falsò gloriantur isti Vicarij) priorem suam epistolam edidisse putatur, ipsis Pontificiis scriptoribus uno ore affirmantibus inprimis eo, qui nunc restim ducit, Bellarm. lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 2. col. 719.

II. Antichristus nullo modo est homo singularis, omni successore carens: quod ex articulo præposito in dictis B. Pauli & Iohannis evincere Jesuita conatur; & quasi palmarium repperisset, ita triumphat: Et sanè (inquit) mirum est, nullum adversariorum, qui tamen jactant linguarum peritiam, hoc animadvertisse. lib. 3. cap. 2. col. 850. Nam quod ait, Epiphanium docere, articulos Græcos contrahere significationem ad unam rem certam, idipsum vulgares etiam nostri quum doceant Grammatici, aliter nihilominùs sæpe docet experientia, & sacrarum lectio literarum probat, id discriminis non esse perpetuum. Ex plurimis unum saltem in medium proferam exemplum, quod extat Matth. 18. v. 15. Ἐὰν ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου, κ.τ.λ. Quæso te, nunquid hîc ad certam personam & individuum astringitur significatio per articulum? Non censeo equidem: nisi quis stultè opinetur, de S. Andreâ Petri germano isthîc loquutum esse Dominum. Quodsi Bellarmino parùm satis hoc facit exemplum, audiat illud, quod est apud Lucam, cap. 11. v. 18. εἰ καὶ ὁ σατανᾶς ἐφ' ἑαυτὸν διεμερίσθη, &c. Vbi non de ipso tantùm Dæmoniorum principe Servator loquitur, sed de toto malorum geniorum ordine.

ordine. Ita ergo per Antichristum non unum quendam hominem, aut singularem personam; sed peculiarem ordinem, ac singularem thronum, sive sedem apostaticam eorum, qui cum summo imperio Ecclesiæ præsidere volunt, intelligimus. Atque huic interpretationi imprudens astipulatur Eccius, lib. 1. de Primatu Petri contra Lud. cap. 16. quùm ex Iuristarum scholâ docet, Successorem & Præcessorem pro eâdem personâ computari; & jura dignitati, non præcisè personæ collata intelligi. *Video, quid fortasse dicturi sint pro Eccio: Antichristo nullam fore dignitatem, nulla jura data. audio; sed quæsò annon dignitatis id abundè satis videtur, haberi pro Deo? At unde jura illi, à quo collata? Vnde? nisi ab infernis, ubi regnat Lucifer, omnis autor superbiæ & illegitimi dominatus. Sed jura isthæc (inquis) sunt iniuria. Sint, quod possunt: modò ipsi sint, vel quasi jura. Et quid multis? audiant Cajetanum suum, domesticum testem, & incorruptum fori sui arbitrum. Is ergo super caput secundum primæ Iohannis ita statuit, ac liberè pronunciat:* delirare ac sponte errare eos, qui unum certum hominem futurum credant Antichristum: quum Paulus *2. Thess. 2. scripserit*, apostasian venturam, & ejus caput Antichristum futurum. Siquidem Apostasia est (*inquit*) generalis quædam defectio à fide: quæ quidem unum corpus & unum regnum facit, & non est paucorum annorum, ut sub uno Rege compleri possit. *Hæc Cajetanus; quæ legi apud ipsum παράκοντα & Bellarminum, lib. 3. de R. Pont. cap. 2. col. 849.*

Interim non magis in se divisum est regnum Antichristi, quàm Satanæ: manetq; id, quod petunt;

unum scilicet in individuo semper esse illum & regnare Antichristum, sive regni Pontificij caput. Cedò namq; annon unus subinde numerô est Pata? Certè, nisi quandò pluribus competitoribus atq; successoribus Antichristica illa dignitas (ut sic loquar) monstrascit, atq; sub triplici coronâ totuplici capite deformatur. Id quod factum est anno CHRISTI 1409. & circiter: ubi tres simul erant, qui Pontifices haberi postulabant, nempe Gregorius XII. Benedictus XIII. & Iohannes XXIII; *nec facilè poterat judicari, quis eorum verus ac legitimus esset Pontifex, quum non deessent singulis doctissimi Patroni; referente ipsô Bellarmino lib. 4. de P. R. c. 13. col. 1023. Desinant ergo clamare ac nugaciter instare profanatores isti benedicti nominis IESV, unum solummodò fore in personâ Antichristum; quo extincto nullus Cathedræ pestilentialis successor futurus sit. Quasi non durare debeat Antichristus, donec in Ecclesiâ hac militante CHRISTVS (cui is opponitur) prædicabitur, & in medio suorum inimicorum dominabitur, h. e. ad ipsum extremi diei punctum. Opus itaq; ille habebit instaurattone per Successores, eundem locum vicemq; tuentes. Siquidem perpetuò vivere (quod CHRISTO proprium est) ἐν ὑὲς τῆς ἀπωλείας in individuo non potest. Nec sequitur: quum virtus atq; bonum simplex sit & uniforme, ipsum etiam vitium unius esse tantum modi. Arist. in Eth. Nicom. lib. 2. c. 6.*

III. Nomen Antichristi non videtur esse, nisi in ea linguâ & gente, in qua degat ipse, investigandum. Sanè quidem Hebræum illud, quondam à CL. D. Chytræo p. m. adductum רוֹמִיִּית, *id est, Romana*

(*sub*

(*sub.* Ecclesia, *vel potiùs Babylon magna illa*:) *præcisè in se continet numeros Antichristicos. Et profectò* 6 ו
locuples intelligenti præbet illud ipsum vocabulum 40 מ
Antichristi præsentis argumentum, quippe quod sedem ejus clarè exprimit. Neq; enim CHRISTO *sese* 10 י
Vicarium substituere vel auderet, vel posset etiam, 10 י
nimis iste apud suos homines LaVDatVs EpIsCopVs 400 ת
(ἀνθρωπάρεσκος. *Psalm. 53. v. 6.*) *nisi Romanam Ecclesiam & Vrbem, velut rem mancipi, possideret. Sed tamen, quia nec ad Judæos, ut Hebrææ linguæ hæredes, attinet Antichristus (cùm quia ne* CHRISTVM *quidem ij agnoscunt, tùm quia titulum Ecclesiæ* DEI *jam olim amiserunt:) nec iste sibi Iudæorum vetus usurpat labium, sed Latio sermone gaudet: idcircò facilè adversus illud exoticum nomen Pontifex Rom.* ε 5
exceperit. Aliâs quoque in Græcâ linguâ, ut olim ρ 100
quædam ab Irenæo & alijs, data sunt, ita hodie possunt α 1
alia recenti studio inveniri. E. g. ἔρα πεφαλὴ ἐκκλησίας, *i.* Terra *pro capite Ecclesiæ sese venditans, seu (explicatâ Metonymiâ)* Terrestre caput Ecclesiæ, Vel, κ 20
Homo princeps Ecclesiæ. *Ita enim ipse pater Bellar.* ε 5
vocabulum terra *ad Pontificem Rom. accommodatum* α 1
explicat. lib. 1. de P. R. c. 9. col 631. Vbi (liceat quæso λ 30
mihi integrum adducere locum) probaturus, Ecclesiam habere suum peculiare caput, præter CHRI- η 8
STVM, ita παραφρονεῖν: ε 5
κ 20
Si Ecclesia, quæ est in tertis, Christo secluso, non κ 20
ineptè comparatur sponsæ: secluso etiam Christo λ 30
(*sunt hæc ipsa Jesuitæ verba*) unũ caput habere de- η 8
bet, præsertim cum disertè *Cant. 7.* inter alia ejus σ 200
mẽbra etiã caput numeretur. Caput tuũ (*inquit spõ-* ι 10
sus ad spõsam) sicut Carmel 9. *Et Spõsa de Spõso:* Caput α 1
σ 200
666

ejus aurum optimum, *Cant. 5.* Et Sponsus quidem *(pergit Iesuita)* comparat caput sponsæ monti Carmelo, quoniam etsi summus Pontifex ingens est mons *(Monstrum dicere debuit)* tamen nihil aliud est, quàm TERRA, id est, HOMO. *Hæc ille. At vide mihi, amabo te, qualis ista est consequentia?*

Sponsa suum habet caput.
Ecclesia est sponsa Christi. E.
Ecclesia habet caput extra Christum, *seu* (*ut ille loquitur*) E. Secluso Christo u-unum aliquod caput habet Ecclesia.

Non absimilis hæc videtur esse ratiocinatio ab istâ:

Baculus pastoralis est in angulo.
Pontifex Ro. habet baculum pastoralem Petri. E.
Pontifex Ro. habet id quod est in angulo, extra pastoratum Petri, *Seu*, E. Secluso Petri pedo, *suum possidet Rom. Pontifex baculum percussorium, in angulo ad infernales abyssus vergente stantem. Valére negaverit Bellarminus, scio. Quia enim baculus in angulo existat, at quæ is pertineat ad Rom. Pontificem; sequipotiùs hoc affirmabit: Ipsum ergo cum pastoritio Petri baculo munus Apostolicum ad eundem σκηπτοῦχον pertinere. Rectè sic equidem ex Syllogismi lege concludi dixerim, modò ne præmissæ laborent, h. e. modò verum sit, & baculum illum Pastoralem Sedis Romanæ in Angulo seu lapide illo angulari CHRISTO rectè stare, & eundem à Papâ legitimè possideri? Quin igitur sic argumentatur Bellarminus?*

Sponsa suum habet caput.
Ecclesia est sponsa, videlicet CHRISTI. E.
Ecclesia suum habet caput, nempe CHRISTVM.

STVM. Ita rectè. *Tún' verò (inquiet) Sponſam in ſe facis ἀκέφαλον?* Nugæ. *Numquid enim, ſi caput mulieris vir eſt, autore Apoſtolo, 1. Cor. 11. v. 3. vel mulier erit homo ſine capite, vel peculiare ei tribuendum caput eſſe exiſtimabitur, (obid, quia ſit mulier ſive uxor) à viri ſeu mariti capite diverſum? Habeat ſanè Eccleſia, quâ congregatio ſive cœtus eſt hominum, ad Divinos cultus evocatorum, ſuum aliquod caput: puta Paſtorem, Epiſcopum, aut quocunq; is nomine deſignetur. At quatenus eſt Eccleſia CHRISTI, Sponſa CHRISTI, Regale ejus Sacerdotium, id eſt, populus DEI, CHRISTI ſanguine acquiſitus, & ad gaudia Domini ſui introducendus; non habet usquam ullum, nec in cœlis nec in terris Caput, præter CHRISTVM ipſum, unicum ejus Sponſum, Regem, Ducem, Principem, denicq; Pontificem Summum. Eſt itaq; planè falſa illa Jeſuitæ hypotheſis: Quòd Eccleſia, quæ eſt in terris, CHRISTO ſecluſo, non ineptè comparetur Sponſæ. Fit enim & ineptè ſatis hoc, & impiè. Quippe tantum abeſt, ut Eccleſia ſecluſo CHRISTO poſſit aptè comparari Sponſæ, ut ne quidem Eccleſiæ nomen tueri queat, niſi à CHRISTO ſolo dependeat. Nimirùm homines iſti, in reprobum traditi ſenſum, non intelligunt, nec intelligere curant, quid aut quale ſit τὸ μυστήριον ἐκεῖνο μέγα, quod inſinuat Apoſtolus, Epheſ. 5. v. 32. quò alludit etiam Salomon in Canticis.*

Verùm ad rem, unde digreſſi ſumus, revertamur. Licet in alijs quoque linguis quamplurimæ dentur appellationes, ad Antichriſti genium mores q; exprimendos attemperatæ: habebit tamen ille, meritò quod excipiat, dicatq;, ſuæ ſibi gentis & Eccleſiæ (quæ Romana eſt) idioma competere; ideoq; nolle ſe aliâ quàm

Romanâ

Romanâ voce nuncupari, & in eâ saltem illam numerorum ἀναλογίαν sibi esse commonstrandam. Quomodo & venerabile ipsius CHRISTI Domini IESV nomen octo monadibus, totidemq; decadibus ac hecatontadibus olim à Sibyllâ definitum, non alibi suam invenerit explicationem, quàm in eâ linguâ, quâ Salvator per Apostolorum suorum literas & monumenta volebat inclarescere. Ea quum Græca esset lingua, τὸ ιησοῦς numerum illum triplicis octonarij exactè reddidit.

ι	10	
η	8	
σ	200	
ο	70	
υ	400	
σ	200	
	888	

Atqui hîc amice lector, vide rursus vanitatem Bellarmini, dum ita sophisticatur: Sibylla quædam notaverat numerum nominis CHRISTI futuri, ac dixerat esse 888. Et tamen nondum poterant homines ante CHRISTI adventum dicere, vocandum esse IESVM. At postquam CHRISTVS venit, omnis controversia sublata est, & omnes omninò sciunt, eum IESVM appellari. &c. *Vide lib. 3. de R. P. cap. 10. col. 883. & 884.*

Quasi verò per numeros istos vaticinij Sibyllini, statim agnitum fuerit nomen IESV in orbem editi; ac non potiùs ex Angeli Gabrielis denunciatione, & cœlesti revelatione, primùm quidem beatæ Virgini Mariæ matri & Josepho, tùm etiam Zachariæ, Elisabethæ, Iohanni Baptistæ, paucisq; alijs innotuerit: donec tandem Evangelicarum Apostolicarumq; beneficio prædicationum literarumq;, Ecclesiæ & orbi nomen illud salutiferum est revelatum: cabalâ istâ hac Arithmeticâ vix tandem deprehensâ, & haud scio an nulli tunc cognitâ. Proinde miror, quid sit, cur tantum tribuat Bellarminus numeris istis Sibyllæ,

nomen

nomen IESV continentibus: quum nihil hîc probent; quanticunq; etiam rem eam putes. Sive ex vetustißimorum Patrum traditione nomen illud (ut alia multa) acceptum fuerat: sive ea erat Dæmonis Sibyllini sagacitas, qua prospiceret, ut in tam excellenti personâ Meßiæ Divinitatis & humanitatis unionem, ita futurum in tam sancto nomine Divini heroïs mysterium quoddam numeri, ejus nempe, qui sacro septenario essetproximus, atq; nomen haberet ab uniendo. Is est 8. quem Hebræi quidem vocant, שְׁמֹנָה, à radice שָׁמַן quod est pingueſcere, & adauctis viribus robur sumere atq; invaleſcere: Græci verò perinde ac Latini dicunt ὀκτὼ, octo; Teutones cum multis alijs gentibus, Acht: vocis origine (quæ Dæmonem fugere non potuit) ductâ ab אָחַד quod significat unire, unde אֶחָד unus. Primus hic est numerus cubicus, ex primo quadrato in suam radicem ducto constitutus, ac veluti coactus. Præterea ח, quæ media & præcipua litera est vocis אחד, nota est numeri octonarij. Etsi hunc numerum ostendere potuit eadem litera prima in vocabulo primæ omnium mulieris & parentis nostræ Hevæ, חַוָּה quippe cujus semen erat futurus ille conculcator Serpentis. Hic autem numerus 8. ter geminari debuit, vel propter tres radicales literas Hebræarum vocum, vel ob S. Trinitatis mysterium. Cæterùm nulla fuit vox neq; ad officium Meßiæ designandum significantior, neq; ad numerum triplicis octonarij repræsentandum aptior, quàm hoc nomen ιησοῦς: idq; ex ipso veteri Testamento non usq; adeò ignotum. Quia Septuaginta interpretes nomen Iosuæ ducis Israëlitarum nõ aliter reddiderunt, quàm ιησοῦς: & Siracides ille gnomologus dictus erat JESVS. Hinc contra Bellarminum sic argumentor:

Si nomen CHRISTI (IESVS) potuit esse notum, tam in genere (ὁμωνύμως) ante natum Salvatorem Mundi, quàm in specie, jam nato eo; licet non haberetur ulla Sibyllinorum numerorum in illius nomine absconditorum ratio: potest quoque notum esse nomen Antichristi, sive (ut Pontificii contendunt) nondum existentis, sive (ut verè nos sentimus) jamdiu in Ecclesiâ dominantis; licet nulli ex tanto tempore observati fuerint in eo nomine numeri. At verum prius. E. & posterius.

Sed quia Bellarminum inprimis juvat hic in numeris ludus, age paulùm indulgebimus. Quis scit, an non in ejusdem Sibyllæ libris, etiam novæ istius religionis & ordinis Jesuitici, quem reliquo Christianorum ordini malùm opposuistis (ut jam non AntiChristus modò, sed Anti Jesus attendendus sit) indices quidam numeri extiterint? puta in Cumææ illius libris istis, quos ea Tarquinio Prisco primùm obtulit redimendos, postea ob pretij magnitudinem repudiatos Vulcano tradidit absumendos. Erat fortassis ibi designatum Iesuitæ (*JESV amuli*) *vocabulum per tres* ἐννάδας, *seu triplicem novenarium; numero Salvatoris IESV singulis unitatibus totidem superato: quasi adsciscatur crypticus ille numerus annorum Servitutis filiorum Israël inter Cananæos, Iudicum tempore, videlicet* III: *de quo vide in libro Iudic. c. 3. v. 9, 14. & c. 4. v. 3. & c. 6. v. 1. & c. 10. v. 8. & c. 13. v. 1. Scribe igitur* ιησουῖται: *& singularum numeros literarum, coge in unum; summa constabit triados novenariæ: ac si inversim iste legatur numerus Antichristicus, 666. Nec minùs istum ipsum*

ι	10
η	8
σ	200
ο	70
υ	400
ι	10
τ	300
α	1
	999

ipſum numerum refert vox, ῥωμάνη, i.e. Romana: ut ſcilicet Romanæ Sedis mancipia eſſe Ieſuitas manifeſtè appareat. Potuit itaq; hic numerus, inſignis cujusdam Ordinis Antichriſtiani index, in Sibyllinis carminibus extare, legiq;: nec tamen à quoq; intelligi, vel tùm, vel nunc etiam, niſi facto ad hunc modum periculo. Hactenus iſta ſatis.

ρ	100
ω	800
μ	40
α	1
ν	50
η	8
	999

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ.

SI QVOD ergo nomen Latinum tale eſt, ut & expreſſè reddat iſtum numerum myſticum 666. & Antichriſto (ordini Papali) planè competat; neque tamen interim ſit odioſum aut vile, tanquam ab adverſariis & invidis, ſed ab ipſomet ſibi inditum atq; uſurpatum, ut in quo gloriari queat: id verum erit Antichriſti nomen, adeoq; ipſum Antichriſtum veniſſe evicerit.

ECCE autem præſens hoc (VICARIVS FILII DEI) per omnia tale eſt, quale requiritur. Nam primò Latinum eſt nomen, & literis ſignificativis numerum illum Apocalypticum exactiſſimè reddit: deinde Ordini Papali per ſe (ex hypotheſi tamen) toti, ſemperq; convenit; quod Pontificum nemo negat. Porrò non eſt odioſum, neque vile, quaſi ab adverſariis ei impoſitum; ſed apprimè ipſi honorificum, venerabile ac formidabile aliis: quod omnes ſibi jam à plusquàm ſexcentis (uti apparet) annis tribuerunt, atq; hodie tribuunt, tribuiq; volunt Pontifices: in eo vehemen-

1.

2.

3.

hementer gloriantur, seseq; divisum quasi cum omnipotente DEO imperium per terras in rebus humanis habere, execrandâ voce jactitant. Id quod inter alia (quis enim omnes bullarum Papalium ampullas excutiat?) luculenter testatum facit illud Æneæ Sylvij Pontif. (qui se Pium postea dici voluit) decretum, anno 1459. Mantuæ editum, quod Ioh. Sleidanus in commentariis suis historicis lib. 2 annotat, quo cavebat ille, né quis à Pontifice ad Concilium appellaret, eò quod supra CHRISTI VICARIVM nihil reperiri posse diceret in rerum naturâ majus. Huc pertinent etiam magnifica illa & gloriosa Prædicta, quibus se Beatissimum & Sanctissimum (quum tamen ipse DEVS SANCTVM modò se appellet) salutari cupit. Atq; hoc adeò est istius nomen Bestiæ, quod vult omnes cujuscunq; conditionis homines (quos quidem suo complexa gremio ipsa pro filijs agnoscit) agnoscere, & velut in manu dexterâ aut in fronte referre. Cujus denique Bestiæ vel characterem seu symbolum & dogma qui ignorant, vel nomen, i. Ecclesiæ Romanæ Caput Vicarium CHRISTI qui non agnoscunt; vel qui numerum nominis ejus non recipiunt, h. e. qui in civibus ac filiis Ecclesiæ Catholicæ sive Pontificiæ nomen suum (saltem in speciem) non profitentur: iis nulla conceditur per istam ipsam Bestium contrahendi, aut civiliter apud illos isthîc conversandi copia. Qua de re manifestam ajunt extare Constitutionem Martini Quinti, in qua districtè prohibeantur ij, qui Romanam sedem non agnoscunt, domicilia tenere, larem fovere, contractus inire, negotiationes & mercantias (ut loquuntur) exercere, aut humanitatis solatia cum CHRISTI fidelibus habere, &c. In fine Constantiensis

4.

ensis Concilij. Postremò hoc miraculi instar est in isto nomine, quòd non modò literis significativis numerum istum Antichristo debitum exhibet; sed & universa ejus nominis elementa, secundum numerum Alphabeticum, more Græcorum & Hebræorum dispositæ, tam accedunt propè, ut tribus saltem adsitis punctis, vel Papisticarum crucibus computatis, eundem numerum expleant. 5.

VNDE sequitur ultrò, nomen hoc ipsius Antichristi verum esse nomen; & proinde ipsum Antichr. venisse, qui est Pontifex Romanus, ordinariâ successione primatum sibi in Ecclesia CHRISTI vendicans.

ΑΠΑΓΩΓΗ ΕΙΣ ΑΔΥΝΑΤΟΝ.

QVodsi Antichristus nondum venit, sequetur, Paulum sine causa dixisse, jam tùm suo tempore mysterium illud τῆς ἀνομίας ἐνεργεῖσθαι cœpisse, videlicet per Pseudapostolos, viâ quamdam ad ἀποστασίαν veræ ac sinteræ fidei munientes. 1. Thess. 2. v. 3. 4. 5. 6. 7. Nihil enim interpretantur, qui dicunt, mysterium iniquitatis hic solùm significare persecutionem Neronis usque ad Diocletianum, & deinde eam quæ fuit sub Iuliano, qui arte & astutiâ divexavit Christianos. Nam id quidem non erat mysterium iniquitatis; sed aperta iniquitas, de qua ipsi tandem gentiles Principes erubescebant. Imò non video, quomodo non ipsum Iohannem mendacij sceleratè arguant isti Sophistæ: Quandoquidem expressè ait, 1. Ep. 4. v. 3. ὅτι καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ ἐστὶν ἤδη. Nam quod de typo nugatur Bellarm. nihil est. Esse enim dicit Iohannes nunc jam τὸ τοῦ ἀντιχρίστου, videlicet in primâ conceptione semen istud iniquitatis versari, cum Paulo innuens. 1.

II. Cæterùm si Antichristus esset homo singularis, non foret (opinor) magnoperè metuendus; præsertim quum Pontificij, ex siniſtrâ interpretatione Prophetiæ Daniel. c. 7. & 12. & Iohan. in Apoc. c. 12. persuasum sibi habeant, Antichristi regnum saltem trium annorum cum dimidio futurum. Quin sequeretur, minùs eum Ecclesiæ DEI incõmodaturum, quàm cæteri Antichristi minores, tyranni & hæretici, quotquot inde usq; à S. Pauli & Iohannis temporib. præcurrisse à Pontificiis dicuntur, incommodaverint. Deniq; hoc efficeretur, Infinitos esse unius Antichristi Præcursores: quod absurdum est. Etenim CHRISTVS ipse DEI Filius hunc Mundum expiaturus, unum duntaxat habuit sui Præcursorem Iohannem Baptistam. Prophetæ & ipsi quodammodo dici Præcursores CHRISTI possunt; sed rectiùs tamen nuncij ac Præcones de futuro, non præsente, nec imminente: Solus autem Iohannes Baptista Magistrum rectâ subsequẽtem præijt. Sicut ergo se habuit Iohannes ad CHRISTVM, tanquam Præcursor ad Dominum à tergo succedentem: ita omninò se habere necesse est hæreticos ad principem Antichristum, cui dicuntur præcurrere. Eligat nunc Iesuita, utrum velit, & dicat; fuerintne ipso statim Apostolorum tempore hæretici, an verò hoc demùm sæculo Lutherano extiterint? Si posterius affirmaverit, crassè mentietur: Sin priùs; eos concedat oportet fuisse Antichristi Præcursores (quid enim aliud fuerint?) Iam si Præcursores illi fuerunt ipsius Antichristi; hujus utiq; ætatis hæretici, post tot exorti secula, non tam Præcursores ejus, quàm stipatores aut æmuli quidam dicendi erunt. Absonum enim est à vero (quod nec ipsi Pontificij sentiunt) post Antichristum verum ac principalem alios minores Antichristos Præcurso-

cursores orituros. Hinc velint, nolint, fateri coguntur, Antichristum non multis ab Apostolorum decessione sæculis, in Templo DEI, h.e. in mediâ Ecclesiâ (Deridendum autem, quòd nescio ex quibus Patrum testimoniis, somniisq; adeò suis afferunt, Antichristum esse reædificaturum Hierosolymis templum, & in eo sessurum. quasi verò D. Paulus Templum DEI appellare in animum induxisset unquā, quod iste Satan sive antagonista CHRISTI ædificaturus esset:) in mediâ, inquam, Christianorum Ecclesiâ in hunc usq; diem consedisse; non sessurum olim. Quid autem? (inquiat aliquis) an ignorante toto Mundo, clam universo Christianorum ordine, sedem isthic suam ille fixit? Hoccine Orbis ferre potuit (Etsi quî non tulerit? nam Vrbem caput Orbis iste impostor invasit:) ferre tamen potuit, mitissimi CHRISTI tam impatiens, ut atrocissimo & Ecclesiæ tyranno & Reipub. Prædoni Antichristo nullum indiceret conjunctis viribus bellum, eumq; de occupatâ regni sede profligaret? Imò verò vidit Mundus; sed DEO irato connixit infelix ad ejus tyrannidem, quam molieba-tur: quin & locum ei concessit ultrò, sceptrumq; indulsit. At Christianorum id animadvertit nemo? Sanè fieri potuit, ut pauci idipsum (quæ ovium est simplicitas) vel animadverterint ab initio, vel satis, quid ageretur, intellexerint: multi etiam non mali pro amico hospite novis succedente sedibus hostem salutarint & complexi fuerint, quippe vultum sibi qui norat fingere. Verum tamen plurimi interim insidias ejus olfecerunt, dolosq; præsenserunt, Lupum rapacem sub ovili vellere latitantem agnoverunt, inclamarunt, voce pariter & calamo pedoque pastorali

ſtorali palàm inſectantes, notantes, perſtringentes, caſtigantes: ſed triſti ferè eventu, & ſucceſſu minùs commodo. Converſus enim ille frequenter ad incautos venatores paſtores ſq.,

Innocuo crudos ungues in gutture figens,
Vocis iter, tenuemq; incluſit ſanguine vitam.

Videatur Catalogus Teſtium Veritatis, vel ea quæ D. HVNNIVS p. m. in Epiſtola dedicatoriâ Libri de Eccleſia retulit, ubi inter multa teſtimonia graviſſima, ex Nicolao de Bibrach (qui vixit ante annos 322.) recitat Epitaphium Papæ Martini, quod ſanequàm lepidum & dignum relatu viſum eſt:

Hic jacet ante chorum ſubmerſor Teutonicorum,
Paſtor Martinus, extra qui totus ovinus:
Et LVPVS introrſus, cui nulla redemtio prorſùs,
Sed ſit ad inferna detruſus ab arce ſuperna.

III. *Si Antichriſtus non eſt ipſe Pontifex Romæ, ſequetur inter alia, illum locum B. Pauli, 1. Tim. 4. v. 3. non eſſe de Antichriſto accipiendum; quomodo tamen plerique omnes Patres ac Theologi accipiunt. Quis autem eſt, qui nuptias ac matrimonia prohibet, & à certis abſtinere cibis jubet, niſi Papa? Nihil eſt enim, quod Bellarm. lib. de Cler. c. 20. col. 358. contendit, Manichæos & Encratitas ſolùm ab Apoſtolo notatos fuiſſe, qui apertè nuptias prohibuerint. Concedendum fortaſſis hoc, quòd præcurſores hac in parte fuerint Encratitæ ipſius Antichriſti Papæ. Neq; verò ſi Encratitas prohibere nuptias & cibos, hæreſis fuit, Papâ idem faciente, mera erit ſanctitas. Nam quod Bellarm. dicto loco, col. 357. ait, Eccleſiam Rom. non prohibere matri-*

monium

monium, nec cogere ullum ad cœlibatum absolutè suscipiendum; sed solùm requirere eam conditionem in iis, qui initiari velint sacris ministeriis; quam si quis nolit accipere, posse non accipere, sed non initiari: id omninò frivolum est, & ad abolendum regni Pontificij cauterium prorsus ineptum.

Deniq; credendum non est, forte fortunâ confluxisse, absq; Divinâ providentiâ, exactissimum illum numerum, convenientissimamq; elementorum significativorum seriem in producto Papæ Antichristi vocabulo (quid enim prohibet plures esse voces ac syllabas, dummodò rem unam denotent, atq; unum planè illud, quod est ἀντίχεις ⊙, exprimant?) præsertim quum id non ex nostro ingenio finxerimus; sed ex ipsorummet Pontificum ore ac confessione didicerimus, & mysterio observato ad infelicem Antichristum feliciter accommodaverimus. Vocabulum nempe Antichristi est, VICARIVS FILII DEI. Hîc vide mihi primùm ipsa numerum signantia elementa, eaq; distinctis lege vocibus, ita: VICI VILI IDI (vox hæc postrema græcissat: est enim εἶδει, τουτέστι τὸ εἶδος ⊙. i. species, forma) Quæ quaso καύχημις Antichristo dignior esse queat, quàm hæc ipsa, istis repræsentata vocibus? videlicet, quòd, ex humili quum ortus sit loco, ipsâ etiam humilitatis specie ac prætextu, ceu arte artissimâ usum, se gloriatur victorem evasisse, & jura filiorum DEI seu Ecclesiæ totius ad se rapuisse, omnemq; clavium potestatem sub suas unius redegisse leges? Vin' hoc apparere manifestiùs in ipso nomine integro? Age, transcribe, sic lege: VICI IVRA DE FILIIS. Audin' tu ipsum de se planissimè confitentem, & nequaquam inficiantem? Si juvat elicere ac seorsim ponere literas non IV.

 nume-

numerales, offerent se nempe istæ, A R S F E. *Transpone sic:* F E R A S. *ut loquatur,* Sevili idi *seu specie* viciſſe feras; *puta* ἀλιγενᾶς *illas, Pardalin, Vrſam, Leonem, & quartam* ἀνώνυμον, *de quibus Propheta Daniel cap. 7. Iſta enim θηρία & monſtra marina ſingula vicit Beſtia hæc* γηγενὴς, ἀμφοτέρως καὶ δεκάκερως, *de qua Joannes noſter Theologus, Apocal. 13. v. 11. Tranſcribe (ſi placet) iterum, ut ſit* S A F E R, *vox exotica, Hebræo nata fonte;* סָפַר *enim eſt numerare, unde* סִפְרָה Sifra, *i. e. numerus. Vt intelligatur, perfectum eſſe hoc nomen Antichriſti, & omnibus ſuis abſolutum numeris. Mitto, quòd & alludit ad* פָּרַץ *quod ruptorem ac diſſipatorem ſignificat; & ad verbum* פָּרַשׁ, *quod eſt explanare, interpretari: ut hoc ſymbolo ſeu vocabulo ipſum Antichriſtum Romanæ Sedis denotari animadvertamus.*

Ab autoritate

Δεῖξις ἐξωτερική.

ET quid eſt, cur vel pluribus id confirmare nos annitamur; vel ipſi in dubium vocent Pontificii, Pontificem *ſuum eſſe* Antichriſtum? *Audiant Abbatem illum Claræ vallenſem Bernhardum, omnium judicio Sanctum, ἀνυποκρίτως ita loquentem, Epiſt. 125.* Beſtia illa de Apocalypſi, cui datum eſt os loquens blaſphemias & bellum gerere cum ſanctis, Petri Cathedram (*ita ex vulgi opinione, ipſis Pontificibus autoribus natâ vocat Eccleſiam Romanam*) occupat, tanquam leo paratus ad prædam. *Nec eradent illud Edictum Imperij ſub Ludovico Quarto, quod non de Ioanne ſolùm XXII. ſed quovis ejus Succeſſore Pontifice Rom. promulgatum exiſtiment: quo quidem expreſsè ille ſemel atque iterum*

Anti-

Antichristus nominatur ac declaratur. Id qui volet, requirat, & otiosè legat apud Aventinum historicum: quem etsi Iesuita criminatur, ut auctorem parùm probatæ fidei, quippe qui non sine causâ illa omnia in odium Pontificum vel finxisse vel amplificasse credatur: (in Appendice ad libros de S. P. cap. 10. col. 1253.) tamen nos, qui contrà novimus, quàm nihil Jesuitis credendum sit, autorem eum probatæ fidei esse facilè credimus, & in his quidem nihil eum vel confinxisse, vel in odium Pontificum amplificasse nimis. Ex eodem Aventino didicimus, quo pacto jamtum an. Domini 858. Episcopi Colonienſis & Trevirenſis Nicolaum I. Papam allocuti fuerint: Tu Pontificis quidem (inquiunt) personam præ te fers, at tyrannum agitas. Sub habitu & cultu Pastoris L V P V M sentimus. Titulus parentem mentitur, tu te factis IOVEM ostentas. Cùm sis servus servorum, Dominus Dominorum esse cõtendis. Iuxta disciplinam Servatoris nostri infimus es omnium ministrorum Templi D E I: tu verò libidine dominandi in præceps abis. Quicquid tibi libet, licet: FVCVS factus es Christianis. Auditis hæc vos BEATISSIMI PATRES, in sublimi solio residẽtes, veste purpureâ & aureâ radiantes! siquidem in eodem omnes edocti estis ludo, ad superbiam & dominatum in Clerum & plebem CHRISTI exercendum: quid vos esse censetis? quid? nisi Antichristos, lampada cursu mutuò tradentes, & sub Pastorum vigilumq́, nomine & schemate, Stygij Lupi fabulam saltitantes.

Cæterùm quod ad nomen ejus attinet, constat etiam ex Patrum vetustorum sententiâ, S. Ioannem in Apocalypsi loqui de numero alicujus nominis Bestiæ sive Antichristi, quatenus certis literis numerum continentibus scribatur. Ideoq́, varia excogitarunt

ad illius designationem vocabula, quorum quædam recenset Bellarm. lib. 3. de Pont. R. c. 10. col. 880. & 881. Inprimis verò Irenæus verisimile duxit, Antichristi nomen fore λατεῖνος, *quod numerum illum, 666. exactè continet. Subodorabatur nempe jamtùm circa annum CHRISTI 180. B. Irenæus, & præsentiscebat mysterium illud iniquitatis in Latio, ad CHRISTI nomen honoresq; vicarios aspirante Episcopo seu Papâ Romano,* ἐνεργεῖσθαι *cœptum, unde porrò in cætera Mundi regna longè lateq; serpens malum extenderetur. Vt hinc etiam non minùs ei convenire videatur altera illa appellatio, quam idem Iren. profert:* τειτὰν (παρὰ τὸ τιτάνειν, *i. e. ab extendendo) quod significat Solem. Soli autem se æquiparatum velle Pontificem, nemo est qui nesciat. Hujus tam vetusti ac divini* εἰκαστοῦ *vestigijs feliciter institerunt nostro sæculo alij doctissimi Viri, ac præcipuè D. Chytræus, qui (ut superiùs dictum) exhibuit vocem* רוֹמִית, *quæ & ipsa cum numerum exactè refert, tùm Sedem Bestiæ Romanam Ecclesiam demonstrat. Planissimè etiam utrumq; deprehenditur in duabus hisce dictionibus:* ἐκκλησία ἰταλικὰ, *i. e.* Ecclesia Italica. *Item in his:* ἰταλίῃ ἐγγενόμενος, *i. qui Italiæ quasi innutritus est & inolevit. Adde quod Ioan. Foxus Anglus in ipsâ voce* Romanus *(nam & tale nomen g. m. requirit Bellarm. quum Chytræum* μωμεῖται, *quod sexum commutaverit) eundem mysticum numerum observavit, si Hebraicis eam literis exprimas,* רֹמַעֲנוּשׂ: *quam si Græcè quoque scribas*

λ	30
α	1
τ	300
ε	5
ι	10
ν	50
ο	70
σ	200
	666

τ	300
ε	5
ι	10
τ	300
α	1
ν	50
	666

scribas simpliciter, ῥωμᾶνυς, parùm abest, quin sic itidem numerum illum exactè reddat. Verùm quid attinet, Latinam dictionem malè scribendo corrumpere? præsertim ita latè patentem, ut præter Pontificem omnes complectatur Italos, & Romanæ civitatis jure utentes. Quin potiùs in ipso nomine ⌣, quo Germania nostra Papam appellat, periculum faciamus: ubi hoc priùs monuerimus, vocabulum nostrum Germanicum ⌣ (Pabſt) apud nostros majores, inter veteres illos Bojos & Saxonas eductum quidem esse introductumq; ; at, si ulla unquam dictio Germanica (cujusmodi mille sunt, ne dicam ad unam omnes) ex aliâ nata est gente & linguâ, hæc ea est. Nam quum inter ipsos Latinos homines, adeoq; in ipso Romanæ Ecclesiæ gremio plurimi olfacerent, Papam Rom. esse ἀντικείμενον illum ab Apostolo Paulo notatum, expresserunt sanè hanc vocem quàm potuerunt proprïßimè, dicentes Oppoſitum. Hoc verbum suum facere conati Germani, non potuerunt aliter, siquidem in unam syllabam redigere vellent, quàm hoc pacto: ut unum P præponerent, duobus O coactis, demtâ afformatione, inquientes Popſt quomodo adhùc Bojemi & alij superioris Germaniæ homines pronunciant: quum aliàs O ferè in a mutetur, differentiâ τῆς b & p loquentium aut scribentium arbitrio relictâ. Age ergo scribe Græcè, ut fieri potest commodißimè, sic: ϖαπεστ. Fac censum literarũ: π 80, α 1, π 80, ε 5, σ 200, τ 300. Ecce πάλω ⌣ Antichristo debitum! Porrò adhibeamus solennitatis causâ ⌣ Articulum, Der Bapſt: Scribatur literis Hebræis (idq; in gratiam Pontificiorum, qui clamant suum ⌣ Antichristum esse debere Iudæum) ita planè, uti receptum hodie est Hebræogermanica scri-

4 ר bere, nempe: רער באפשט. *Ecce vobis numeros istos*
70 ע *in Romani Antichristi nomine tam liquidos, quàm hic*
200 ר *Sol est! At in Germanico fac id ostendas, inquient.*
2 ב *Nodum in scirpo quæritis vos Jesuitæ. Et tamen experiar:* Der Römische Pobst/ *vel, demto rursus articulo,* Römischer Papst. *Facite periculum, ut voltis,*
1 א
80 פ *in literis Græcorum & Hebræorum (imò & Germanorum) putandis: solertem se nostra dabit Minerva.*
300 ש *Sed & crassissimè, ex usitato inferiori huic Saxoniæ &*
9 ט *Pomeraniæ nostræ idiomate, scribam,* De Paawest.
666 *Recense literas:* D 4, E 5, P 60, A geminatum 2, W 400, E 5, S 90, T 100. *Summa iterùm rectè convenit, 666. Eant nunc isti Dryopes, & nostris insultent Ecclesiis, quòd usq; dùm inventum nondum sit, neque datum aliquod nomen, ad arguendum Antichristianismum Rom. Pontificis idoneum. Pudeat q; adeò Bellarminum cum suo Lindano, & Gerebrardo, tam scurriliter ludere in clarissimis & æternâ memoriâ dignis nominibus* D. MARTINI LVTHERI, & DAVIDIS CHYTRAEI: *quibus ad inimicos illos numeros accommodatis, mirè sibi placent, ac palmarium quoddam sibi reperisse videntur isti Jesuirones. Quasi non in sexcentis ipsorum Pontificum & Pontificiorum doctorum nominibus idem facere nobis, si lubeat, in promtu sit futurum. Sed parùm istud fuerit, neque magni ad rem momenti: licet vel in singulis Romanor. Pontif. nominibus istum numerum quoquo modo investigemus ac deprehendamus. Imò licet omnes Papæ* LVDOVICI (*salvo honore nominis fortissimorum ac sapientiss. Principum, Regum, Imperatorum, quibus id nomen obtigit*) *vocarentur: aut si nemo non dictus esset* NICOLAVS GAVDANVS, *quod nomen*

men Viri cujusdam Iesuiticæ sectæ hominibus familiarissimi celebre est in Vita Lojolæ: aut, si vel omnis PONTIFEX esset CADOLVS, quem Imperator Hinricus IV. designatum misit ultrò petentibus Legatis Romanæ sedis, anno CHRISTI 1061; vel omnis æmuli sui VICTOR ALEXANDER, qui fraude & astutiâ Hildebrandi Archidiaconi electus Cadolum istum superbè dejecit: Aut potiùs tametsi perpetuum sedisset ille GELASIVS SECVNDVS, qui Pontifex ipse fuit, & anno C. 1118. sedit, saltem 11. mensibus, & insuper 20. diebus miser: qui ne solidum regnaret annum, fecit Imp. Hinricus, qui Pontificatum ei abrogavit, & vicissim ab isto Ludione (id enim significat nomen Γελάσιος: cujusmodi pestes Psalmus 1. vocat לֵצִים i. lusores seu derisores) excommunicatus est. At nihil ad rem præsentem istis opus. Verùm talia quærenda, quæ in universum omnibus Apostolicæ (Apostaticæ debui dicere) Sedis hæredibus suppositis congruant: quale nostrum illud est, VICARIVS &c. Cujus sanè vim nominis (quod hoc loco prætermittendum non est) plusquàm ingeniosè Primasius expressit in vocabulo Græco ἀντιμος, quod ille Antichristi sore proprium existimavit, & per numeros Antichristianos declaravit. Bellarminus id interpretatus est voce CONTRARIUS: quum veram deberet rationem attendere, ac dictum putare, quasi ἀντ' ἐμοῦ, i. VICE MEI, PRO ME, seu, LOCO MEO. Certè non sine cœlesti Numine hoc nominis repperisse mihi videtur bonus ille, quisquis fuit, Pontificij primatûs osor Primasius: quum vel tam altùm sapuit, vel (quod vero consentaneum) ex ipsius negotij maligi gliscentis inspectione didicit atque animum advertit, hunc Antichristi sore genium, qui

qui primatum in Ecclesiâ, locum q. CHRISTI (tanquam querentis, ἀνθ' ἑαυτοῦ istum Simium sese obtruaere Gregi sacro Pastorem summum) affectet, vicariatum q. ejus scelerate ambiat. Et probè notandum, quod Bellarminus scribit, multis Catholicis etiam probari illud ἄντιμον, quasi proprium Antichristo futurum nomen. lib. 3. de P. R. c. 10. col 881. Verùm illi quidem falluntur: neq; tamen ab ijsdem Jesuita jure dissidet. Nam etsi Antichristo tribui rectè potest, quòd ex ipsius ingenij & naturæ Antichristi consideratione depromta sit appellatio: tamen ei proprium esse nequit, eò quòd non ipse sibi hoc nomen usurpat neq; agnoscit, tanquam exoticum, & ab adversâ parte (à CHRISTO) sibi inditum. Iesuitæ verò nostri dissensio est in eo, quòd nullum adhùc Antichristo nomen accommodari posse putat, neque mendacem illum Vicariatum CHRISTI in istâ voce adumbrari animadvertit.

ΣΥΜΠΕΡΑΣΜΑ.

QVARE Quum productum illud nomen, VICARIVS FILII DEI, Antichristo Romano sit accommodatissimum; quippe in quo omnes sunt conditiones, quascunq; Bellarminus Papæ sui nomine requisivit hactenus: Proinde verum hoc esse ac proprium ipsius Antichristi nomen, ut ex ijs, quæ in medium adduximus, manifestè liquet, ita planè statuendum est. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

ΠΟΡΙΣΜΑΤΑ.

I. *FAlsissima ergo est illa Bellarmini conclusio, qua affirmat, verissimam esse sententiam eorum, qui ignorantiam*

rantiam suam confessi dicant, ignorari adhuc Antichristi nomen. Et quod ibi gloriatur, argumentum esse insolubile ad probandum, Roman. Pontif. non esse Antichristum, necdum venisse eum; id omninò futile est & nullum. Siquidem nomen ejus toti terrarum Orbi longè est notissimum ac decantatissimum.

II. Quotquot unquam se CHRISTI FILII DEI Vicarios dici voluerunt, quotquot nomen Ordinariorum Pastorum Ovilis CHRISTI eo modo receperunt, quotquot adeò contra CHRISTI Salvatoris & Archipastoris animarum nostrarum, (teste B. Petro) unici decretum & expressam voluntatem, principatum sibi atq; imperium in Repub. Christianorum sive Ecclesia arrogarunt; quotquot Vniversales Episcopi in Ecclesiâ Catholicâ; quotquot item Sponsi Divi populi CHRISTI, & consimilibus aliis impiis nominibus (de quibus paulò pòst in Epicherematis) appellari sustinuerunt atq; sustinent: omnes illi fuerunt atq; sunt Antichristus iste, de quo præmonuerunt post vatem Danielem & CHRISTVM τὴν καθηγητὴν, B. Paulus & Ioannes Apostolus. Licet plus mille numerarentur Apostolicæ istius (si Spiritu Sancto placet) sedis Successores: imò (quod Scripturæ autoritate confirmaverim) licet omnes ac singuli vitæ morum q; sanctimoniâ, qua πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις abuterentur, & miraculis insuper claruissent.

III. Denique hoc nunc est in Ecclesiâ Christianâ Pontifex Roman. cum suis Cardinalibus Episcopis & Monachis, quod olim in Iudaicâ Ecclesiâ, circa tempora CHRISTI & Apostolorum erat Summus Pontifex seu Princeps Sacerdotum, cum Scribis & Pharisæis: videlicet inane religionis idolum, & larva quædam pictatis,

actum ejus variâ specie repræsentans; at effectum & vim ejusdem ipso opere abnegans. Nisi quòd verius gloriari poterant hi de ordinariâ successione ad Templum Hierosolymitanum alligatâ, quòd sederent in Cathedrâ Mosis (teste ipso Salvatore Matth. 23. v. 2.) quàm isti possunt Apostolicæ sedis (modò isthic unquam sedit Ap. Petrus) stelliones verius, quàm legitimi successores. Id quod planius aut pleniùs dicere & demonstrare, alius est loci. Et præstiterunt hoc jam satis superq; post D. Lutherum nostrum mille alij: inprimis autem nostrâ ætate D. Chytræus, AEgid. Hunnius, Philip. Nicolai, Ioan. Foxus, & nuper Robertus Abbattus in suâ Antichristi Demonstratione: cui adjuncta est Iacobi VI. Serenissimi Britanniarum Regis de Antichristo commentatio, tanto omni laude dignior, quantò à potentiore, doctiore ac pientiore Principe, (& rariore quidem exemplo) profecta est. ὡς ἔπος εἰπεῖν: Si, qui sint Pontifices & Sacerdotes Romani, scire velint ipsi, legant caput illud Evang. Matthæi vigesimum tertium: nec legant solùm, verùm probè secum expendant atq; intelligant. Hic verò nisi extremis modis cæcutiant, nisi omni mente ac ratione careant, nisi seipsos nesciant planè; videbunt, sentient, palpabunt, in quantam à fatis ipsorum illa splendor & religiosum vitæ schema desiturum sit miseriam:

Quando præcipites cœlesti fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemq; profundam
Acti, mendacis flebunt ænigmata cultûs.

ΛΥΣΙΣ

ΕΠΙΧΕΙΡΗΜΑΤΩΝ.

AT (obijciunt) Papa non opponit se CHRISTO in frontem. Igitur non est Antichristus, & per consequens, Numerus Antichristicus ei non rectè accommodatur. *Resp. Nego hoc ad definitionem Antichristi pertinere, aut requiri, ut per omnia se CHRISTO in frontem opponat, ac blasphemè verbis ubiq; contradicat. Satis, satis est, si opere ipso atq; facto hoc faciat, quod facit. Neque verò particula ἀντὶ in compositione semper significat contrarietatem, ut in ἀντίδικος, ἀνταγωνιστὴς, ἀντικείμενος, ἀντίδοτον: sed interdum notat vicissitudinem seu recompensationem, ut in ἀντίδωρον, ἀντιπελαργεῖν; aut æquipollentiam, ut ἀντίστροφος, ἀντίχειρ: nonnunquam etiam (neget licet Bellarm. lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 1. col. 847.) significat subordinationem quandam. Quid enim aliud est ἀντίζυγος, quàm in eodem jugo respondens alteri? quid ἀντίδουλος; nonne vasallum significat subordinatum suo feudatario? ἀντίτυπος l. ον, i. exemplar, nonne subordinatur ei, quod est ἀρχέτυπον seu πρωτότυπον; ἀντιστράτηγος verò tam is dicitur, qui Imperatoris vice fungitur, quàm qui adversæ dux præest parti: ἀντεραστὴς dicitur rivalis amans, qui successore novo subinde tollitur: utut respectivè suo rivali oppositus; tamen ipsi amasiæ τῇ ἐρωμένῃ subordinatus. Et ἀντιβασιλεῖς dicuntur, quos Rex mittit proreges ad provincias; non eos quidem sibi æquales, sed subordinatos & subditos, ut qui non nisi delegatâ à Rege potestate funguntur.* I.

& alieno nomine omnia exequuntur. denique ἀνπάδελφος dicitur, qui est loco fratris, seu vicem ejus præstans. Ita ergo Papa se pro Duce obtrudit Ecclesiæ, ut veri Ducis CHRISTI Frodux & Vicarius, adeoq; ἀντίθεος, καὶ τῶν μὲν χειρῶν θεὸς (Psal. 104. v. 15.) ἀνπάξιος ἁλλων ἁπάντων, τῷ ὃ χειρῷ τῷ Ιησᾶ ἰσόλιμος in terris haberi cupiat. Neque verò aliud esse potest Vicarius CHRISTI (modò ne figuratè vocem accipias: quomodo omnis Magistratus, & quilibet Minister Verbi Vicarius DEI appellari potest:) quàm qui locum ejus plenariâ se tenere profiteatur autoritate, suaq; adeò scita & decreta expresso DEI Verbo æquivalere postulet. Hoc ipso igitur, quia videri vult ὁ ἀναπληρῶν τὸ τόπον τᾶ χειρᾶ, i. e. qui adimpleat in Ecclesiâ militante locum CHRISTI tanquam non præsentis, seu, qui sedeat loco & vice CHRISTI, ἀντὶ χειρᾶ; hôc ipso (inquam) Antichristum se esse ipsum, planissimè arguit Pontifex Romanus. Enimverò si larvatus ille & Vtopicus Papistarum Antichristus (quem fore Iudæum statuunt, eumq; de tribu Dan ex Diabolo & muliere, vel certè ex fornicariâ nasciturum suspicantur. Bel. l. 3. c. 12. col. 889.) apertis verbis profiteretur, esse se majorem ipso Altissimo DEO Conditore cœli & terræ; ne unum quidem habiturus ille esset discipulum aut sectatorem. Quia ex nimis impudenti & effusâ blasphemiâ deprehenderent omnes, esse ipsum totum à Diabolo dementatum atq; obsessum. Quanquam nec verbis interim parcunt vesani Pontifices, horumq; Satellites. ψευδόχειροι. Nam, ut de superbis ipsorum Pontif. decretis & dogmatibus blasphemiæplenis, nunc non agam; considera quæso mihi, Christiane lector, istud Bellarmini de Sum. Pontifice καύχημα, quod plenis buccis effutit

in

in Præfat. libb. de Memb. Eccleſ. Militantis, Tomo 11. Controverſ. col. 281. Licet (*inquit*) imperator Eccleſiæ primus ac ſummus Chriſtus ipſe ſit; tamen quòd non ſolùm in terris, ſed etiam in cœlis, & apud inferos magnos exercitus habeat, quodq; ſolis cœleſtibus præſentiam ſuam, ut par eſt, aſpectabilem præbeat, Vicarium Imperatorem ac Ducem exercitui, qui eſt in terris, Apoſtolum Petrum, ejusq; ſucceſſores, ſummo cum Imperio, & poteſtate præfecit. Ergo Romanus Pontifex hæres Apoſtolorum Principis, caſtra cœleſtia in terris ducit, Chriſtumq; ipſum nobis mortalibus quodammodo repræſentat, *Hactenus Ieſuita.*

Audin' tu illum? quomodo CHRISTI ipſius FILII DEI Vivi honores affectet Beſtia iſta nocentiſſima, dum ſeſe illius Opt. Max. perſonam in terris repræſentare (hei quàm impudenter) gloriatur! Imò verò hic planè ille eſt Antichriſtus (ut ſemel dicam) qui negat IESVM eſſe CHRISTVM. Clamant hoc ſatis vel ipſa nomina, quæ ſibi vendicat publicè Rom. Papa. Bellar. l. 2. c. 31. quindecim recenſet, quæ nos ad 11. referemus.

Nam primò ſe Vicarium *facit* Domini IESV: *quum non indigeat Vicario ullo CHRISTVS IESVS, Eccleſiæ ſuæ Rex & Dux unicus, nunquam non præſens; ipſo teſte, Matth. 28. verſ. ultim. & David Pſalm. 121. v. 4.*

2. Pater audire *vult* Eccleſiæ totius: *quum nemo ſit nobis in terrâ Pater vocandus; quia unus eſt Pater noſter ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς, Matth. cap. 23. verſ. 9. Epheſ. cap. 4. verſ. 6.*

3. *Dicitur* Summus Sacerdos & Christianorum Pontifex: *quum unus sit noster Pontifex Summus; Ebr. cap. 3. v. 1. & 4. v. 14. & c. 5. v. 5. 6. & c. 8. v. 1. &c.*

4. Caput Ecclesiæ: *quum solus CHRISTVS, à quo nomen sortita est Ecclesia, hujusdem ipse Caput sit: Ephes. 1. v. 22. & c. 5. v. 23. &c. Vide suprà in κεφαλαιωσει, III.*

5. Fundamentum Ecclesiæ: *quum CHRISTVS unicum sit fundamentum, præter quod aliud poni nullum potest. 1. Cor. 3. v. 11. Et 1. Pet. 2. v. 6.*

Memorabilis hîc est Iesuitæ nostri, in applicando Pontifici suo isthoc epitheto, solertia; sed cum Diabolicâ conjuncta nequitiâ: dum locum illum Prophetæ Esa. cap. 28. v. 16. Ecce ego ponam in fundamentis Sion Lapidem, &c. *audet ad monstrum illud hominis, seu potiùs bestiam obscœnissimam Papam suum accommodare, inquiens.* Quanquam hæc verba in Christum præcipuè convenire non ignoramus, eadem tamen non ineptè in Christi Vicarium quadrare censemus. *Et urget inprimis illa verba:* In fundamento fundatum. Quid est enim *(ait)* in fundamento fundatum, nisi fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium, non primarium? Siquidem primum ac præcipuum Ecclesiæ fundamentum non ignoramus esse Christum. At post Christum, fundamentum est Petrus, & nisi per Petrum non pervenitur ad Christum. *Vide Præfat. in libros de Sum. Pontif. columnâ 592 & 594. Hîc verò nescias, utrum mirere magis: impietatemne in explicando, an perfidiam in interpretando dicto Prophetico. Illam quidem quum manifestam esse atq; palpabilem sentiret Sophista, lenire quodammodò voluit, quum dixit, Ea verba Prophetæ non ineptè (at hej quàm ineptè, quàm impiè!) in CHRISTI*

STI cementitium Vicarium Papam quadrare videri. Hanc verò linguarum imperitiam, quæ juvenem fortassis excusare poterat, in veterano isthoc Romani Vejovis Armigero sublevare minimè potest, nec veniam mereri ullam debet: quippe qui nostris hominibus Theologis nonnunquam id criminis objectare solet. Sanè Hieronymi an sit versio illa Latina, hîc non disputo: sed cujuscunq; sit, eam ita authenticam esse, ut & Hebræo fonti & Græcæ translationis honori præjudicare possit, id pernego. Iam verò neuter id habet, quod ex suppositâ versione Latinâ urget Bellarminus: In fundamētis Sion. Nam in Hebræo simpliciter est, אֲנִי יִסַּד בְּצִיּוֹן i.e. Ecce, ego fundabo, seu fundamenti loco ponam in Zijon Lâpidem, &c. Quæ Græci Patres transtulerunt hoc modo: ἰδὲ ἐγὼ ἐμβαλῶ εἰς τὰ θεμέλια Σιὼν λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν, ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον, εἰς τὰ θεμέλια αὐτῆς, h.e. Ecce ego immittam in fundamenta Sion lapidem multi precii, electum, in summo locatum angulo, honorabilem in fundamenta ejus. Vbi præpositio εἰς, nō designat locum seu terminum ad quem (aliàs quis non videt, fundamentum ipsi Lapidi angulari suppositum, adeoq; prælatum iri?) sed finem potiùs usumq; significat Lapidis illius, quòd in fundamentum, vel loco fundamenti firmissimi futurus sit. Hoc nempe sibi vult plurale nomen θεμέλια, idq; secundò repetitum: ut rem justis modis amplificet. Idem quoq; innuit illa verbi iteratio in Hebr. מוּסָד מוּסָד i. e. fundamento fundatum; ut quàm solidissimè fundatum intelligamus. Sic etiam ipse S. Petrus (quem Papa fædè prostituit instar idoli, CHRISTOq; substituit) illa Prophetæ verba interpretatur, in 1. Epist. c. 2. v. 6. ἰδὲ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον ἀκρογωνιαῖον, ἐκλεκτὸν, ἔντιμον. i. Ecce colloco

in

in Sion lapidem angulos tuentem, electum, in honore & precio habendum. *Nullam hic facit Apostolus mentionem fundamenti cujusdam alterius; sed Lapidis solùm illius ad angulos positi, qui fundamenta praestare debeat* πάσῃ τῇ οἰκοδομῇ *longè firmissima ac tutissima. Quod autem S. Paulus ad Ephes. 2. v. 20. dicit, nos* ἐποικοδομηθῆναι ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τ̃ ἀποστόλων καὶ προφητῶν, *hoc significatum voluit: nos ad templum DEI sive Ecclesiam ædificandam amplificandamq; vocatos, veluti superstrui ac coagmentari in ipso illo fundamento, quod professi sunt omnes* οἱ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι. *Itidem B. Ioannes Theologus in Apocal. 21. per illa duodecim fundamenta Civitatis sanctæ nihil signat aliud, quàm duodecim Apostolorum voce ac ministerio propagatum esse per universas terras Evangelium, eorundemq; beneficio, (Domini cooperante gratiâ) fundatam esse atq; extractam illam in Orbe Vrbem DEI amœnissimam Ecclesiam. Pudor ergo est, Iesuitam ex nullo fundamento tantam rem tam procaciter urgere. Sed pergemus in exegesi nominum Papalium.*

6. *Salutari cupit* Pastor Ovilis Dominici, *& quidem (uti Petrum inter Apostolos solum fuisse scribit, lib. 1. de Roman. Pont. c. 11.)* Ordinarius. *quum solus CHRISTVS sit Pastor ille bonus & summus. Joan. 10. v. 12. 14. & 1. Pet. 2. v. ult. & cap. 5. v. 4.*

7. Rector Domus DEI: *quum is item sit ipse CHRISTVS, verbo & Spiritu suo regens ac gubernans Ecclesiam suam. Ioan. cap. 16. v. 13. & cap. 17. v. 17. &c.*

8. Pater & Doctor omnium Christianorum; *atq; eâ causâ Romana Ecclesia istis vocatur Mater & Magistra*

gistra omnium Ecclesiarum, ex Concil. Lateran. Quum tamen unus sit noster Magister & Dominus CHRISTVS, Matth. c. 23. v. 10.

9. Sponsus Ecclesiæ *gestit appellari, plusquàm caninâ atque asininâ impudentiâ. quum soli CHRISTO hoc conveniat Epitheton. Ioan. 3. v. 29. Matth. 9. v. 15. &, c. 25. &c. Item 2. Cor. 11. v. 2. &c.*

Hunc titulum Papa Gregorius X. *(Ecce formalem nominis Antichristici numerum, VI. qui iterum atq; iterum per X. excrescens perficitur) in impio Concilio Lugdunensi recepit. Sicuti ibidem quoq; solenniter sancitum est principale illud & longè usitatissimum nomen,* Vicarius Christi. *Atq; ejus nominis splendor ipsorum etiam adversariorum quondam oculos perstrinxit, ut confiteri eos suppuderet, esse Papam Ecclesiæ Sponsum, Ideo si quando necessitas meminisse cogeret, ore semiclusо, quasi pultem ferventem continente, verba presserunt, & mirâ (quæ hypocritarum est) modestiâ usi, non dixerunt id quidem ipsi, sed à sanctis scilicet Patribus edictum, quod in dictum esse non posset, approbarunt. Ejus rei vide Lector exemplum in D. Ioan. Eckio, qui in libro 2. de Primatu PETRI adversus Lud. cap. 27. quum in id Problema incidit, ita melle perunctis os cunctabundum referat dictis:* Quamvis dulcis IESVS sit verus Sponsus Ecclesiæ, & omnium fidelium caput, tamen oportet adesse caput ministeriale, quod nobiscum conversetur, quod possimus accedere, & nostras necessitates ei exponere. Hoc est Papa Romanus Pontifex, successor Petri, Domini IESV CHRISTI in terris Vicarius. *Attende quæso Lector: Quamvis (inquit) IESVS sit verus Sponsus Ecclesiæ, & omnium fidelium caput!*

Hic jam volebat, & ex conceptâ opinione debebat inferre: Tamen etiam Ro. Pont. est Ecclesiæ Sponsus, si non verus (*hunc enim ipse ultrò concedit esse CHRISTVM*) saltem substitutus, secundarius seu Vicarius. *At non sivit eum ita loqui, cùm pudor in cauteriatâ conscientiâ tamen reliquus, tùm rei ipsius absurditas. Sed,* tamen (*inquit*) oportet adesse caput ministeriale, *i. e.* Papa. In ix, *ut Talpa. Probetur prius, Papam ejus esse generis, qui ad regulam CHRISTI quadret isti ministerio; deinde cætera videbimus.*

Emblematis loco hic mihi fas sit inserere, quo pacto Iesuita nomen istud sive titulum Pontificis defendat, lib. 2. de R. P. c. 31. col. 840. Sed objiciunt (*inquit*) aliqui Bernhardum, qui in epist. 237. monet Eugenium Papam, ne se Ecclesiæ Sponsum existimet, sed sponsi amicum; & quod absurdum videtur, ut Vicarius regis reginæ Sponsus dicatur. Resp. Sicut Papa dicitur Caput, Rector, Pastor Ecclesiæ, loco CHRISTI; ita etiam dicitur Sponsus, loco CHRISTI, sive ut CHRISTI Vicarius & Minister. Nam verus & principalis Sponsus Christus est, ut dicitur *Iohan. 3.* Pontifices autem dicuntur Sponsi, quia cooperantur extrinsecus in generatione filiorum, tanquam ministri Verbi & Sacramentorum, & filios non sibi, sed Christo generant. Bernardus ergo solùm admonere intendit Pontificem, ne se principalem sponsum arbitretur. Et (*audite* ληροῦντα *Suitam*) quanquam absurdum est in carnali generatione regem juvari à Vicario, & unam dici multorum sponsam, tamen in spirituali non est absurdum. *Hæc ille. At proh Summe*

DEVS!

DEVS! Solum hoc ferre, Solem hunc videre sustinere tam fœdam Belluam, quæ in Sanctum Filij DEI Altißimi thronum sese Luciferiano fastu elatum inferat atque involet: imò thalamis quoque (horrendum dictu, auditu nefarium!) se quasi ἀντεραστὴν & rivalem obtrudat substituatq́. Tùm autem homines tam nullius frontis, tam profligatæ mentis, tam perditæ fidei & conscientiæ reperiri, factum qui probent, qui publicè tueantur scriptis, & Orbi commendent! Sed quid non execranda Antichristi perfidia, & impia ejus asseclarum Iesuerronum temeritas designat?

Age verò interim excutiamus atq́ examinemus illam belli argumentatoris nostri responsionem. Concludit nempe, Pontificem ex sententiâ Bernardi non prohiberi, quôminùs se Ecclesiæ Sponsum existimet; modò ne principalem. idq́ hac ratione: Quia itidem dicatur caput Ecclesiæ, Rector & Pastor. Vide obsecrò, annon principium Iesuita petat. AEquè enim ambigitur id, & quæritur, quo jure se Papa vicarium Ecclesiæ caput, Rectorem & Summum Pastorem nuncupet. Ideoq́ sic progrediendum erit ex hypothesi:

Sicut Papa dicitur Caput, Rector, Pastor Ecclesiæ, loco CHRISTI: ita etiam dicitur Sponsus loco CHRISTI, sive ut CHRISTI Vicarius & minister.

Assumo jam: Atqui Papa sic dicitur Caput, Rector, Pastor Ecclesiæ, ut Antichristus, ut sacrorum proditor, & prædo gregis Christiani. Ergo Eodem quoq; modò, eâdem fide, dicitur Sponsus Ecclesiæ, se ilicet ut Antichristus, ut sacrorum proditor, ut stellio & turpissimus impostor sanctæ DEI Ecclesiæ.

Major ipsius est Bellarmini vera. Minoris etiam veritas patet ex antè dictis. Sequitur ergo vel ex solâ isthac appellatione, qua Pontifex dicitur Sponsus Ecclesiæ, ut ex ungue leonem, ita hunc rectè æstimari ac deprehendi ipsum Antichristum.

At verò neglectis istis ante-dictis, negabis tamen (scio) Bellarmine assumtionem nostram, & occines antiquum illud: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo. Item, Tibi dabo claves regni. Denique, Pasce oves meas. Respondeo: Nihil dicis ô bone. Verissima sanè sunt illa verba CHRISTI, dum Petri fidem mirificè probans, isthæc ei tam magnifica promittit. Accepit etiam claves Petrus, & pavit inprimis oves CHRISTI, h. e. fideles in Judæâ & Galilæâ, quos ipse CHRISTVS hactenus coràm paverat Verbo, & miraculis confirmaverat: nempe vernaculas illas oves de domo Israël, quos & filios vocat, Matth. 15. v. 24. 26. & proprias Oves, Iohan. 10. v. 3. 4. 14. 16. Idcircò S. Paulus B. Petro Evangelium & Apostolatum Circumcisionis concreditum memorat, ad Gal. 2. v. 7. 8. Et ipse Petrus ad Judæos advenas, per Pontum & reliquas Asiæ partes dispersos Epistolam scripsit. Caterùm ostendas tu, & omnes isti Vicariarij & Primatarij, ubi vel Petrus ipse sibi, vel Paulus, aut quisquam alius Apostolorum, Petro primatum dignitatis & gradûs supra inferiores (Nam ordinis aliquem inter pares concedimus: vel quòd senior esset Petrus, & authoritate præditus, δοκῶν εἶναί τι, Gal 2. v. 2. 6. vel quia CHRISTVS eum ob præclaram illam fidei confessionem novo nomine & præsenti Clavium munere seorsim dignatus erat:) at supra inferiores, inquam, ubi ullum ei quisquam è CHRISTI Scholâ primatum tribuerit: id ostendatis,

oro.

oro. Dicatis quicquid velitis, mentiemini: & ipse vos mendacij arguet B. PETRVS, si auditis. Sic enim loquitur, 1. Ep. c. 5. Presbyteros inter vos (inquit) obtestor ego compresbyter, ὁ συμπρεσβύτερος: non dicit ἐγὼ ἀρχιπρεσβύτερος; multò minùs ἐγὼ ἀναπληρῶν μέρος ἔχοντος, i. Ego Vicarius ille CHRISTI. Perlegantur & sequentia, quorum singuli penè apices te ô Romane Sathan redarguerint.

Inquient: Oportuisse omninò inter ipsos statim Apostolos esse unum aliquem præcipuum, seu (*ut loquuntur*) Prælatũ, ut schismatis tolleretur occasio. *Scilicet ergo nulla fuit unquam in primitivâ illâ Ecclesiâ Apostolorum ætate dissensio, aut contentio, quin eam Petrus cognosceret & componeret. Quî factum igitur, ut quum in Corinthiorum Ecclesia alius se Pauli esse profiteretur, alius Apollonis, alius Cephæ seu Petri, alius denig; CHRISTI, periculosissimo & pleno superstitionis errore: qui factum (inquam) ut non ad Petrum statim ea sit delata quæstio, vel ejus saltem autoritate decisa à Paulo? Númquid ignorabat, aut dissimulabat, Petrum esse quod audiret, Petram nempe & fundamentum universæ Ecclesiæ? Vtiq; verò ignorabat id, quod non erat. In actis Apostolicis sanè legimus, ad Apostolorum & seniorum cognitionem & judicium controversias fuisse devolutas, & ab iis decisas: At solius id autoritate Petri tanquam Capitis inter Apostolos factum, non legimus. Act. 15. quum lis & controversia mota esset à Judæis semicredulis, quòd oporteret homines non modò per fidem in CHRISTVM, sed & Circumcisionis ritu & lege Mosis servandâ salvari: ibi nomine Ecclesiæ ablegati fuerunt Paulus & Barnabas ad Apostolos & Seniores, qui erant Hierosoly-*

mis. Quò ubi venissent, congregatis Apostolis & Seniorib⁹ ea res accuratiùs tractata atq; expensa fuit. Hic quidem prima legitur Petri, ut senioris & honoratioris oratio, qua confutat illud Pharisaicæ religionis fermentum, de recipiendo præter fidem etiam Legis Mosaicæ jugo. Sed idem sibi non sumit partes rei planè constituendæ ac determinandæ. Verùm Jacobus ille frater Domini rem decidit: Audite me (*inquit:*) Dictis quidem Simonis de assumto sibi è gentibus populo assentior, &c. *Inde subjungit:* διὸ ἐγὼ κρίνω. *i.* propterea ego judico, & ita censeo, *ut sequitur Actor. 15. v. 19.*

Adhúc hæretis ô boni? Audite nostræ sententiæ interpretem gravissimum, D. Cyprianum, qui floruit circa annum C. 200. Is de simplicit. Prælatorum scribens, ita sentit: Hoc (*inquit*) erant utiq; & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio prædíti & honoris & potestatis. *Idem lib. 1. Ep. 3. ad ipsum Cornelium Episcopum Rom. scribens, vehementer improbat, Rem censurâ Episcoporum Africanorum dijudicatam, ad ipsum de novo decernendam transferri:* Nisi paucis desperatis (*inquit*) & perditis (*Auditis hoc vos Papæ, & qui circùm estis?*) minor videtur authoritas Episcoporum in Africâ constitutorum. *Et iterùm in Concil. Carthagin. sic loquitur:* Neque enim quisquam nostrûm Episcopum se Episcoporum esse cõstituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit. Quilibet enim habet potestatis suæ liberum arbitrium. *Certè non dubito, quin, si eâdem tunc fuissent potestate Romani Pontifices, quâ nunc, istum Cyprianum continuò hæreticum publicis bullis proclamassent, aut igni cremandum tradidissent.*

Sed

Sed redeamus ad institutam telam nominum Papæ.

10. Vocatur Apostolicæ Sedis Præsul, *non solum sedem Apostolicam tenens, sed etiam principatum Apostolicæ Sedis, cujus munus dicitur etiam Apostolatus, ex Concil. Chalcedon. Quum tamen Apostoli non habuerint fixam aut certam sedem, ubi publicis stipendiis alerentur; sed in Orbem universum ire jussi passim CHRISTO meruerint, atq; Ecclesias coëgerint, quocunq; vel Spiritus eos impellebat, vel CHRISTI amplificando nomini & honori conducere arbitrabantur. Marc. 16. v. 15. Ioh. 17. v. 18. Actor. 1. v. 8. &, c. 16. v. 6. 7. 10. &c.*

11. *Denique appellatur* Episcopus Universalis, *seu* Archiepiscopus & Universalis Patriarcha. *Quum solus CHRISTVS sit* Ἀρχιεπίσκοπος *& animarum nostrarum. 1. Pet. 5. v. 4.*

Hoc nomen Gregorius ille Pontifex ipse jamolim profanum esse, sacrilegum & Antichristianum, verè pronunciavit, lib. 4. ep. 32. & alibi sæpiùs. Quod autem Bellar. respondet, eo tantummodo id accipiendum esse, quatenus reliquis Episcopis ipsum nomen & facultas Episcopalis adimatur, ita ut Vicarij potiùs sint illius, qui dicatur Vniversalis: id quàm sit ineptum & nullius planè momenti πρόσχημα, *nemo non videt.*

Quare quum hos & hujusmodi alios, qui soli CHRISTO Domino nostro competunt, titulos ac nomina sibi tribuat, ac tribui patiatur Rom. Pont. profectò satis ipse probat, ipsissimum esse se Antichristum.

PAPA tamen (*inquias*) scribere se solet Servum Servorum DEI. E. Non rectè arguis eum Antichristum. II.

R. Gre-

R. Gregorius Magnus magnam ille mentitus humilitatem, quondam sic se vocare ausus est: qua fide, vide apud ipsum Bellar. lib. 1. de R. P. c. 7. col. 020. videlicet ut qui regeret ac præsideret modò Servis DEI, h. e. qui imperaret omnibus, pareret nemini. Eodem sensu etiam Imperatoris sese nominabat servum. Quod tamen Bellar. partim ex humilitate, partim ex necessitate factum interpretatur, quia scilicet Imperatoris ope & amicitiâ tum vehementer indigeret. lib. 2. c. 28. col. 825. Alioqui minimè cessit Imperatori: quod inde facilè patet. Nam quum ab Imperatore Gregorius simplex appellatus esset, non tacuit, gravem sibi injuriam eo verbo esse factam: quum idem simplex & fatuus significare viderentur. Ibid. col. 826. Ne itaq; sanctissimi illi Patres, quotquot Gregorio successerunt, minùs intelligere viderentur, quam in Ecclesiâ personam gererent, & quæ sibi ab ipsis Imperatoribus reverentia deberetur; istum titulum, ut vilem abjectumq; contemserè ferè, & vix unquam agnoverunt: nisi quoties Gregorianam placeret imitari hypocrisin. Id quod adhuc fatitant Romani illi Præsules, quùm bullas edunt, in quibus usurpant ac solemniter (insolenter volui dicere) ipsi sibi tribuunt hunc titulum. Atq; id Iesuitam vidisse reor, quando inter quindecim illa insignia Papæ nomina, nullam fecit istius mentionem. lib. 2. c. 31. Et sanè manifestum commisit ille sanctus Hypocrita (Ignosce verbo, quisquis es Gregorianæ fautor humtlitatis: Nam gloria DEI agitur. & quî cognoscas arborem meliùs, quàm de fructu?) manifestum commisit, inquam, sacrilegium Gregorius, isthoc usus, vel potiùs abusus titulo: insignemq; DEI FILIO in sæcula benedicto contumeliam pariter & injuriam fecit. Enimverò quod Marc. 9.

v. 35.

v.35. dicit Salvator: εἴ τις θέλει πρῶτος εἶναι, ἔσται πάντων ἔσχατος, καὶ πάντων διάκονος. Item: Matt.20.v.20. &c. hîc quidem primùm non jubet quemquam inter discipulos affectare principatum quoquo modo: deinde autem præscribit omnibus in genere methodum quandam præcipuæ dignitatis consequendæ, si nimirùm certent interse meritis & charitatis officijs; non si τις πρωτοκλισίας ament, quod faciebant Pharisæi & Scribæ, δόξαν παρ' ἀλλήλων λαμβάνοντες, καὶ τὴν δόξαν τὴν παρὰ τοῦ μόνου θεοῦ οὐ ζητοῦντες. Iohan. 5. v. 44. Quod si ergo maximè respexisset Salvator ad solum Petrum, quid tamen aliud sequeretur, quam Petrum debere cæteris esse modestiorem, humiliorem, officiosiorem? id quod maximæ sibi laudi ac gloriæ coram DEO & sanctis ejus (non coram Mundo) cessurum esset. Ex quibus satis constat, quàm malè hunc sibi titulum Papa Rom. accommodet, adeò ab omni abhorrens humilitate, ut summos etiam Principes, Reges & Monarchas ad sui ministerium & obscœna pedum oscula admittere non erubescat. Inquient fortasse; CHRISTVM itidem ad sacra pedum suorum oscula admisisse Mariam Magdalenam, & Simoni haudidem facienti exprobrasse. Imò hoc est id, quod dico: CHRISTI ut hominis omnium pauperrimi, contemtissimi, afflictissimi humilitatem, nulli imitabilem, sibi tribuit; hoc consilio, ut ejusdem Regis, Sponsi, Capitis arroget sibi locum ac dignitatem, nulli communicabilem, Pontifex Romanus. Quid ergo est, si non Antichristus hic est?

At cur non in vulgari illo ac trito nomine (PAPA) aliquid inesse ostenditur, quod Antichristum arguat? R. ἄλογον hoc est nomen ait ἀνάθεμον, infandæ istius Bestiæ numerum prorsùs ignorans: addo etiam

νήπιον, & minimè gloriosum Antichristo nomen. Nam & Veteres eo nimis generaliter usi videntur, & infantes nostri primulùm fari incipientes, id de patribus aut alioqui senioribus usurpare blandiendo solent, nunquam id Pontifici Rom. tributuri: quem si cernerent triplici coronâ, & Tyrio saturatâ murice pallâ insignem, ac clave insuper veluti clavâ minantem Herculem, ac τὸ μάδισι ingeminantem; ut Manducum refugerent potiùs & abhorrerent, quàm amarent, ulnasve ambirent.

Quodsi fortè alludunt, qui hoc nomen isti Belo tanquam sacrum tribuunt, ad vocabulum Syriacum ἀββᾶ (quod ter invenitur in N. Testam. Patriq; cœlesti attribuitur) blasphemiæ notam non effugiunt. At verò quòd ad veterem illam Romanorum scripturam se referant, Pa: Pa: quo significatum voluerunt Patrem Patriæ; non est. Neque enim ipse Pontifex Patriæ tantùm suæ, unde ortum ducit, aut in qua degit & fovetur, Patrem se dici vult, sed totius Orbis Christiani: neque ei quisquam jure tribuat honorem & nomen Patris, sive assertoris Italiæ, & summi Imperij Romani; quippe quod fraudulentis consilijs & machinationibus ad se transtulit, ne dicam rapuit. Quid autem! Ad se traduxit avitam Imperij Rom. sedem? quidni etiam illam Imperatoriâ majestate dignam appellationem Papa sibi vendicet? Nisi potiùs placet, Papam dictum esse, q: Patrem patrum. Sic enim monet iste versiculus, quem olim uterum gerente Papâ Johannâ, anno C. 855. Damon in Consistorio pro loquutus esse scribitur:

Papa pater patrum Papissæ pandito partum.

Iuvat hîc obiter commemorare de Papâ Fabiano, quod historici tradunt, ejus capiti insedisse columbam, quum

quum de Episcopo eligendo ageretur. Interpretati id sunt Patres conscripti, velut augurium Spiritus Sancti, hunc Fabianum ad istud munus designantis, Q. d. ἔα, ἄδε Φαβιανός, id est:

Mittite: qui placet, & sacræ quem quæritis ædi
Præpositum, Patres, hic Fabianus erit.

Verùm procul dubio φάντασμα quoddam sive spectrum fuit Satanæ, in istius hominis simplicitate atq; apparente humilitate, impio suo astruendæ Sedis Antichristicæ instituto prætextum quærentis, atque hoc omninò meditantis & agentis, quod versiculi hi κατὰ γράμματα παλίνδρομοι loquuntur;

E ROMA TETRA MALA PAPA PALAM ARTET AMORE:
SOLAMEN MOTI REXERIT OMNE MALOS!

ε	5
α	1
α	1
δ	4
ε	5
ι	10
φ	500
α	1
β	2
ι	10
α	1
ν	50
ο	70
ς	6
	666

Quasi diceret: Hic commodus ei rei locus, hæc mea Babylon, hæc adeò illa Thais: cujus occasione inductus, amœnitate illecebris & amore captus ac dementatûs Papa, è sacro Pastore mihi in execrandum degeneret impostorem, ut cui prædæ tantùm sit ac libidini Ecclesia, palàm velut triumphanda, posteaquam omnia ab eo jura malis artibus (sub specie sanctimoniæ, seu nomine Vicariatus CHRISTI) evicerit, & ad se unum traduxerit. Fuit autem hic Fabianus successor Antheri (dicti q: ante herum, ἀντὶ ἥρωος) qui post exactum mensem extinctus est, anno à nato CHRISTO 237; & sedit annos 14. ipso annorum numero decimum quartum à se futurum designans.

Pontificem Sylvestrum, qui donato sibi à Constantino Magno urbis Romæ & totius Italiæ, omniumq; occidentalium provinciarum imperio, Sedem istam Petrinam constabiliturus esset, ac velut immotam redditurus: è medio tùm sublato eo, cujus præsentia teterrimo Ro. Pontificum instituto obstiterat hactenus. 2. Thess. 2. v. 6. & 7.

Quæso te, hic paulisper, amice lector, siste gradum. Rem scio à nonnullis doctis jam antè notatam; sed à mille non observatam. In Evangelistâ Ioanne cap. 10. v. 8. Salvator inquit: πάντες ὅσοι πρὸ ἐμοῦ ἦλθον, κλέπται εἰσὶ καὶ λῃσταί. i. e. Omnes quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones. Lectio hæc vera est, si omnia conferas exemplaria Græca, etiam apud ipsos Pontificios impressa: excepto, quod Benedictus Ariomontanus concinnavit, ubi Græcis Latina (si Musis placet) imposuit. Hunc solum vidi omisisse verba illa, πρὸ ἐμοῦ, in gratiam suæ religionis, & Papæ Latina κανονίσαντος. Sed & Beza monet, in septem exemplaribus (quæ à 7. profecta puto collibus, at q; hôc ipso suspecta) eadem illa verba omissa sibi visa fuisse: quæ in reliquarum editionum nullâ desiderantur. At quis tamen malus genius effecit, ut in omnibus omninò antiquæ illius, quam D. Hieronymo tribuunt, versionis Latinæ editionibus illæ duæ dictiones, ante me, desiderentur? Animadverti id ego primùm in exemplari meo, quod ex officinâ Brylingerianâ Basileæ prodiit, anno 1578. Indignitate rei commotus, in typographi negligentiam admissi culpam rejiciebam primùm. Postea verò quum & alia inspicerem diversis locis & temporibus impressa exemplaria; & inprimis illud, quod ex judicio Theologorum Academiæ Lovaniensis, factâ diligentissimâ colla-

collatione aliorum exemplarium, ante centum, 200, 300, 400. imò plusquam sexcentos annos (ut habet Præfatio) impressorum, confectum est in folio, atque impressum Antuerpiæ, anno 1570. hîc verò certior demùm sum factus, nullaapud Catholicos extare exemplaria Latina, quin ad unum omnia sic habeant. Etquid autem suspicamur esse, cur istud verbis CHRISTI mendum induxerit Satanas, consentientibus omnibus Romanæ Cathedræ juratis, adeoq; verisplerisque Christianis approbantibus? Causam oportet subesse profectò non levem. Hoc quidem est extra omne dubium: Διάβολον voluit, ac Φρεναπάτην ὁ Διάβολος. In paradiso primos nostros parentes circumventurus, sic arguebat: DEVS utiq; permisit vobis & concessit totius horti usumfructum: quidni ergo otiosè fruamini quolibet? Nequiter omittebat impostor, ac dissimulabat id, quo in erat omne rei momentum: exceptâ unâ arbore. Consimiliter in tentando CHRISTO: Angeli (inquit) te custodient; quidni ergo tutò hinc præceps eas? Omittebat promissi conditionem, in viis tuis. Itidem veterator iste callidissimus hîc egit in re manifestâ. Legebant enim, & adhùc legunt per universum Orbem docti in Græcâ linguâ verba illa, τοῦ ἱεροῦ, prædicto loco: Et tamen potuit ea elidere è Latinis Bibliis, & è versione illâ, quam Papa rerumpotitus in Ecclesiâ probaret, impunè excludere; ut ne (quod Græcus habet textus) legeretur, Omnes quotquot ante me venerunt; sed, Omnes quotquot venerunt. Reddebatur hoc pacto oratio CHRISTI anceps & dubia. Quia quùm pridem antè venerat Ioannes Baptista, tùm etiam olim venerant Prophetæ. Etsi interim non ignoramus, quid de verbi ἔρχεσθαι proprietate hoc loco moneat Theophylactus,

ctus, inquiens: ὅσοι ἦλθόν, φησιν, ἤγουν ὡς ψευδοπροφῆται, οὐχ ὅσοι ἀπεστάλησαν, ὥσπερ προφῆται. *Attamen illis verbis,* πρὸ ἐμοῦ, ante me, *disertè perstringebat Salvator eos, qui citra mandatum DEI venirent, ac ipsi CHRISTO se præponerent, aut æquipararent, quocunque loco & tempore. Satanas igitur, quum malè sibi metueret de Vicario isto,* Prochristo *sive* Antechristo, κομμάτιον *illud* (ante me) *expungendum duxit: nequis hominum Latinorum (Vetuerat autem vel aliam versionem Lat. admitti, vel in alias linguas cuique genti vernaculas transferri S. Biblia) furtum animadverteret; nec Papam* πρὸ χριστοῦ, ante Christum, ἀντὶ χριστοῦ, *h. e. pro CHRISTO seu vice CHRISTI sese Ecclesiæ obtrudentem, ipsum esse* Antichristum, *CHRISTI ipsius & Apostolicâ voce calamoq; designatum, olfaceret aut agnosceret. Hem, quò nos abstulit illa de Fabiano fabula.*

IV. Porrò licet plures extent nomenclaturæ seu appellationes Romani Antichristi: *Tamen non necesse est omnibus istis portentosis nominibus inesse numerum illum Antichristicum. Sufficit enim, si vel in istoc saltem inesse monstretur, quod præcipuè hîc productum voluimus,* Vicarius Filii DEI; *quippe quod* καύχησιν *habet Antichristo quam maximè idoneam. Nec tamen eundem numerum respuit alter titulus, quem ut sibi proprium item vendicat, ita non minùs gloriosum meritò ducat Pontifex:* orDInarIVs oVILIs ChrIstI Pastor; *quæ postrema vox numerô tantùm est, quum nullum in se contineat numerum. Etenim adeò aliena est à tam sancto pascendarum ovium CHRISTI munere Bestia illa Babylonica, ut earum lacti potiùs omnique succo subducendo, imò sanguini exhauriendo inhiet,*

biet, & se modò ipsam pascendo, insanam libidinem vix expleat. Quid tamen impedit, quò minùs & tertium, quasi cognomen, in triplicis honorem Coronæ afferam, videlicet: DVX CLerI. *Qui titulus æquipollet ei, quem Bellarm. inter alios recenset, l. 2. c. 31. allegatum ex tomo 1. Concil. ubi Papa dicitur* Princeps Sacerdotum. *Namq; universum* Ordinem *suum Pontificij solenniter vocant* Clerum: *quod q: ductis sortibus, omnes in circumferentiâ ad istius apicis Flaminisque Summi nutum sese atque obsequium attemperent. Vide Bellarm. Præfat. in libb. de Memb. Eccles. Militantis, ubi expressè* Clericorum Ducem *vocat Rom. Pontificem. Scribe etiam (si placet) Hebraicè* דוקש כלרו *(Cleru antiquè, ut Menandru Ter. pro, -dri.) Quòd si fortè (uti pertinacia sunt Romanensium ingenia) nominis in voce divisionem causentur, & omninò simplicissimam requirant Antichristi appellationem; ex meris confectam literis Arithmeticis; quamquam dare non erat opus, nec adeò primæ notæ (quale jam dedimus) plura dare in promtu situm: dabimus tamen secundæ adhúc aliquod, idq; unicâ dictione & puris-putis numeri significativis constans elementis. hem tibi!* CLIDVX, à clave ducenda vel habendâ: *nam Græcis est κλειδοῦχος. Longè hoc quidem illustrius eo, quod Bellarm. ex Ruperto adducit,* DIC LVX *(quæ nec unica est dictio:) quasi Antichristus novæ lucis & sæculi creationem moliturus sit. quin pontes ille sibi suos consolidet potiùs stabiliatq;. Metuo enim, ne citiùs quàm opinetur, ad stygias paludes, Acheronte rupto præceps eat, cum universo Clero suo, longoq; Sacerdotum agmine; nisi conversi fuerint, dum in via sunt.*

D	500
V	5
X	10
C	100
L	50
I	1
	666

ד	4
ו	6
ק	100
ש	300
כ	20
ל	30
ר	200
ו	6
	666

Verùm

Verùm enimverò unum adhùc desiderari posse, meritoq; requiri videtur, nempe ut Germani nostri in suâ quoq; lingua habeant symbolum quoddam, Latino isti respondens, quo Rom. Antichristum per omnes numeros agnoscant. en do! Verwalter der Kirchen (w in duo v v resoluto) i. Dispensator seu Procurator Ecclesiæ. *Interpretatur nempe hoc nomen illud, quod Bellar. inter alia quoq; adducit supra dicto loco,* Rector Domus DEI. *Ecce iterum germanum Rom. Pontificis nomen, quo se quondam, stantibus rebus, & durantibus apud nos idolomaniæ suæ Orgÿs, appellari dignabatur. At vide amabò (θεῦμα ἰδεῖν) qualis sub istis Salviæ foliis ac frutice Bufo, quàm tetrum sub hoc speciosо nomine monstrum lateat! Elice primùm ex ædesacrâ* Servum, (*adsumtâ ex primâ voce, quæ officium designat, literâ crucem repræsentante*) Knecht. *Hinc Articulum* der/ *è Genitivo fac esse Nominativum Pronominis relativi, Qui. Postea, quum universalis audire cupiat, assume vocem* Al/ *i.* omne. *Denique restat jam verbum ex duabus extremis dictionibus colligendum, quod effectum illius Servi explanabit,* verwirre. *Habes ecce integrum egregÿ istius Administratoris Ecclesiæ Symbolum:* Knecht der al verwirre/ *hoc est,* Servus qui omnia tricis involvat, *seu,* Mancipium omnia turbans. *Quem turbatorem Servum procul dubio notat Salvator, Matth. 24 v. 48.*

Heus tu (inquient) quid tandem perturbat noster ille Procurator Papæ? nonne potiùs ordinat omnia? Ipse loquatur. audite: Der Welt Reich verkär (n *sanè abÿciatur: quia numero Antichristi nihil confert aut detrahit.*) *hoc est:* Regna Mundi vel everto, vel pro lubidine ductuque meo partior ac divido.

Nam

v 5
vv 10
l 50
d 500
i 1
c 100

666

Nam quis Romam olim Imperij Romani sedem, sibi vendicat? Papa. Quis Imperium à Græcis ad Francos & Germanos transtulit? Diceremego, DEVM id effeciſſe per arma Imperatoria: Sed Papa reclamat, & ſeſe id perfeciſſe contendit. Imò gloriatur, quòd vacante Imperio ſua ſit ſucceſſio, vel novi Principis electio & ſurrogatio: videlicet ſuum in eâ re Magiſtrum referens, ipſe ejus diſcipulus minimè degener. Sic enim iſte ab altâ ſpeculâ rugiebat: Regna iſta Mundi, quæ cernis, & univerſa eorum gloria, illaque adeò rubentia & candentia terræ viſcera, quæ tanti fiunt, omnia ſunt mea: Quæ tibi ego CHRISTE, quaſi à me uncto Regi, Vaſallo tradam, ſi proſtratus, mea fueris amplexus genua, meos deoſculatus pedes, measque diſſaviaveris manus. *Ain' tu verò? (dicent) Nonne ſuas oves & oviculas à Petro paſci voluit CHRISTVS? Ita voluit: ſed quas, & quomodo? dictum id antè, & notum omnibus ſanis. At* Paſcere *hic eſt regere, quomodo apud Poëtam* τὸ ποιμαίνειν, *ſcilicet. Nonne Petro ſucceſſere Pontifices? nempe ut Moſi Pontifices: hi Judæi, illi Romani, utrique hæretici. Quid tu tibi vis tandem? inquiet Bellarminus. Nonne fatentur Catholici uno ore omnes, jus illud ordinandi & conſtituendi regna Romano Papæ competere? Rectè. Nonne CHRISTVS Salvator noſter ipſe fatetur, Iohan. 14. ver. 30. Diabolum eſſe Principem Mundi? Sed quo jure, quave injuriâ occuparit Mundum, & quo pacto regat; id plus ſatis eſt notum, & res loquitur ipſa. At hæccine præcipua eſt turba, quam Papa dat? Vtinam extra Eccleſiam eſſet, ne tam penitùs eam turbaret! Nam dum omnia ad ſe jura rapit filiorum filiarumq́, ita omnium ferè perturbat animos, ut in ipſo*

* pag. 39.

tanquam omnium rerum potito Numine stupeant, & ne hiscere quidem contra audeant. audit igitur: Kirchen Wald Verreter / *i. Proditor juris ac potestatis Ecclesiæ, per traditionum suarum excrementa, & bruta bullarum fulmina. Plura nunc non addam.*

V. *Tandem hùc (opinor) velut ad sacram anchoram confugient, ac dicent:* Papam se scribere ac scribi Vicarium, *non* Filii Dei, *sed, CHRISTI.*

R. Proditorium verò effugium! Nempe hîc Arianismi sese ultrò ac manifestè astringant, necesse est; aut Nestorianismi: qui vel Divinitatem (quâ Filius DEI est) Salvatori nostro detrahunt, vel personam dividunt, alterius modò naturæ sc. Divinæ præsentiam largientes, & in Ecclesiâ agnoscentes; alterius verò, sc. humanæ (quâ Filius hominis est, & quâ λύτρον pro nobis persolvit) conditionem ad certum in cœlis locum astringentes, ita ut quasi injectâ compede inde commovere se nequeat, nec quid in terris geratur sciat. Ita planè videntur, qui pro Vicariatu istoc sacrilego Pontificis Rom. tantoperè pugnant, sentire: dum CHRISTI τοῦ ἀρχιποίμενος, à gloriosâ ejus resurrectione atq; ascensione, personam in totâ Ecclesiâ sustinuisse Petrum fingunt, ab eoq; deinceps propagatum esse Summi Pontificatus ordinem, perversè nugantur. Fallor autem! an id vidit Spiritus ille πλανῶν? sicubi Vicarium se Filii Dei *dixisset Papa, periculum fore, ne quis ex ipso statim nomine accuratiùs inspecto, omen ejus malignitatis disceret, & Antichristum apertè velut ἐν αὐτοφώρῳ depræhenderet? Interim anguis in herbâ latuit; vocabulo CHRISTI, ut molliori atque (ut ita dicam) humaniori potiùs, quàm eo, quod majestatis & religionis plenum, FILII DEI, utendo. Quanquam propè admodùm*

modùm ab expresso ejus usu abfuit Eccius in lib. 1. de Primatu Petri, cap. 20. ubi inquit: Summus Pontifex est Vicarius Dei. *Et paulò pòst terminum (DEI) explicat his verbis:* Rom. Ecclesia est superior aliis: quia Petro ejus Præsidenti Christus Filius Dei, Verbum Patris, dedit Primatum super totâ Ecclesiâ. *Audiamus & Jesuitam nostrum, qui lib. 3. de Ro. Po. c. 21. col. 931. contra Illyricum disputans, ita loquitur:* Papa, te teste, Vicarium Dei se facit; ac per hoc non Deum. Nec enim Vicarius Dei, Deus esse potest, nisi fingas Deos minores. *Ita nempe inter Deos minores (modò fingantur) locum relinquit Pontifici, eumq; facilè principem; imò ipsis summis (ut ita loquar in morem Suitarum) prorsus parem. Nam inter Ethnicos quidem Deos, nullius erat tantâ præditum autoritate vel potentiâ numen, quin integrum esset Iovi Summo reliquorum scita corrigere, ac fata temperare. At huic Deastro Italico tanta tribuitur à suis Suitis autoritas, tanta potestas, ut quicquid sibi in suilli pectoris scrinio natum atq; eductum sit, non possit non continuò ratum habere ac comprobare Summus ille rerum Arbiter DEVS DEI q; Filius. Sed ad rem. In N. T. planè Synonyma esse, CHRISTVM & FILIVM DEI, quum ex mille alijs passim locis palàm est, tùm satis liquet ex illustri illâ Petri, jam non piscatoris, sed Apostoli per S. S. eruditi, confessione, Matth. 16. v. 16.* Tu es CHRISTVS filius ille DEI vivi. *Verùm ab istis Papamaniacis CHRISTVM dividi, noster hic ipsè satis probat, lib. 5. de R. P. c. 4. ubi primùm citat hæc ὑμόψηφα Cajetani verba, colum. 1069. (A)* Sum Pontifex Christi Vicarius est, & CHRISTVM nobis repræsentat, qualis erat, dum hîc inter homines viveret. *Eodem cap. 4. col. 1072. & 1073. (A) ipsius Bellar. verba pleniùs idem*

loquuntur: Dicimus (*inquit*) Papam habere illud officium, quod habuit Christus, quum in terris inter homines humano more viveret. Neque enim Pontifici possumus tribuere officia, quæ habet Christus, ut DEUS, vel ut homo immortalis. Quia enim Ecclesia ex hominibus constans, indiget capite visibili, & more humano vivente. Ideò Christus quando desiit more humano vivere, id est, post resurrectionem reliquit Petrum loco suo, qui nobis exhiberet illam Christi gubernationem visibilem & humanam, quam Ecclesia habuerat ante Christi passionem; ut patet ex illis verbis, Ioan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos, &c.

Hem autem! quid patére Sophista dicit, ex allegatis Evangelistæ verbis? Num hoc: ut, sicuti Christus usq; antea discipulis suis visibili præsentiâ præsto fuerat, ita ipsi deinceps reliquæ per Orbem terrarum sparsæ Ecclesiæ visibiliter præsint, eam tueantur & ornent? Si sic; ergo ad unum Petrum temerè restringitur, quod ad omnes æquè pertinet: quia dictum: mitto vos. *At non hoc velle Dominum, meridianâ luce clariùs patet; quasi, quemadmodum ipse passim comitatus fuerit ac duxerit suos discipulos, visibiliter eos gubernando ac tuendo; ita hi vicissim comitentur velut Duces ac Imperatores, omnes Christianæ gentis seu Ecclesiæ copias. Sed hoc vult Optimus Salvator: ut, sicut ipse à Patre cœlesti in hunc Mundum missus sit, ad annunciandam hominibus peccato perditis æterni Patris reconciliati gratiam & misericordiam; ita vicissim etiam Discipuli se missos esse sciant à CHRISTO, ad prædicandum Evangelium omni Creaturæ. Id clarissimè patet etiam ex illis verbis CHRISTI, quum jam à mortuis*

tuis redux inter suos ultrò citroq; versaretur: Luc. 24. Sic scriptum est, & sic oportebat CHRISTVM pati, & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes gentes. *Hæc ipso cum Sole patent, sine omni nube. At quod Iesuita patére ait, nugæ meræ; nihil ejus patet. Verùm ista persequi prolixiùs, nec hujus est loci, nec mei nunc instituti: ac præterea βεγχὺς ὁ τῆς ἀληθείας λόγος.*

ΕΠΙΛΟΓΟΣ.

Sic ergo Divini beneficio Numinis, fundamentum Ecclesiæ Romanæ, seu regni Pontificij, quod ipse Pontifex est (teste Bell. in Præfat. super libros de S. Pontif.) discussimus, & abominabile nomen ejus detexímus & palàm fecimus: ut causa jam nulla sit reliqua, quin Pontificem Rom. ipsum esse Antichristum videant & agnoscant omnes, quoscunq; non cæcutire magis & errare, quàm recta sequi & sapere juvat. Siquidem eos ille gerit titulos & nomina, quæ Antichristo maximè conveniunt, videlicet plena hypocriseos, plena superbiæ, plena blasphemiæ, plena tyrannidos, suis denig; absoluta numeris.

Quid enim magis hypocriticum, quàm ut vocére Servus Servorum DEI? *quum reverâ Dominum te facias Dominantium. (Annus, quem literæ numerales in istis vocibus,* SerVVs serVorVM DeI, *exhibent, iste est, quo beatus Lutherus causam dixit publicè Vormatiæ, coram Imperatore & Statib. Imperij Romani, atq; hypocrisin Antichristianam ipsius Pontificis redarguit, MD. XXI.) Porrò quid ambitiosius & superbius,*

quàm unum velle salutari Vicarium DEI? quum omnes in Ecclesiis Rebusq; pub. constitutos, vicem DEI quandam sustinere doceat Sacra Scriptura; primatum verò & summum in omnibus locum nulli concedat homini. Nam detortas illas è verbis CHRISTI malè intellectis rationes nihil moramur: Patrum quoq; plerorumq;, plausibili errore speciéq; sanctimoniæ seductorum (sit dicto venia) calculos & suffragia pro Summo Pontifice, impunè negligimus: neq; ullius in terra hominis autoritatem tanti facimus, ut contra Verbum DEI sentientem audiamus & sequamur. Deinde quid cum blasphemiâ conjunctum majori, quàm Sponsum Ecclesiæ dici postulare? Quidquid etiam hîc argutetur Bellarm. frivolè distinguendo; mentitur in DEI Spiritum. Quid deniq; τυραννικώτερον, quàm universo DEI populo seu totâ Ecclesiâ superiorem se profiteri, & eum, qui à nemine judicari, à nemine deponi possit (Bell. lib. 2. de P. R. c. 26. 27. & 30. ne injustè quidem & impiè agens: adeò ut si vel infinitas animas in infernum unâ secum traheret, nemo tamen ei dicere posset; Papa quid facis? siquidem Papæ est pro ratione voluntas. Etsi verò Bellar. lib. 3. c. 21. col. 927. ad verba illa Canonis ab Illyrico allegati, sic respondet, ut neget eum Canonem esse Rom. Pontificis; sed (ut ait) Bonifacij Episcopi Moguntini, Germanorum Apostoli: Tamen ipse interim cum universâ Antichristi Synagogâ id tanquâm rectè dictum comprobat, his verbis: Non negat quidem Pontificem Summum si malè vixerit, esse corripiendum atque admonendum ex fraterna caritate; sed negat posse argui ex autoritate ac judicari, cum ipse sit omnium hominum judex. Hinc lepidè utitur dilemmate: Quæro (inquit) ab Illyrico, ve-

co, veráne sit S. Bonifacii Germanorum Apostoli sententia, annon? Nam si vera non est, cur nobis obiicitur? Si vera est, cur non recipitur? Dicam idipsum planiùs: Si vera non est ea sententia, non igitur verum est, Pontifici plurimas animas secum ad inferas trahenti non posse dici, quid facis? Si vera est; igitur verè caput est Rom. Pontifex omnium Ecclesiarum, & cunctos judicaturus à nemine est judicandus. *Ostrophas Satanæ! Si quæris omninò Bellarmine, verum non est, quod dixit (te referente) Bonifacius, quicunq; is, & quicquid tandem fuerit: etsi vel Angelus de cælo fuerit. quin flagitiosè mentitus est, in gratiam sui Idoli, quod Antichristum esse ipsum miser haud agnovit, erroneâ opinione sanctitatis Pontificiæ efficaciter delusus ac q: fascinatus, pedibus iens in consilium Cathedræ malignantium: Tum verò etiam (flagitiosè, inquam mentitus est) in insignem contumeliam JESV CHRISTI FILII DEI, cujus hoc edictum extat apud Iesaiam, cap. 42. v. 8.* Ego Dominus, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam sculptilibus. *In infernum autem deducere ac mortificare, juxtà & vivificare, cujus est obsecrò, nisi DEI solius opus? teste B. Annâ, 1. Samuel. 2. vers. 6.* Dominus (*inquit*) mortificat & vivificat, deducit ad inferos & reducit. *Quapropter quum id, quod DEI est unius, Rom. Pontifex vel sibi tribuat ultrò, vel ab aliis impiè tributum sibi agnoscat, quumq; adeò DEI Optim. Maxim. gloriam (quam ille perpetuò sanctam vult esse atque illabatam) carpat, ac proximo gradu sibi, tanquam summo & præcellenti vendicet, non secus ac si diversum cum ipso Altissimo imperium*

rium habeat: proinde te oro per DEVM & omnia sacra, perq; adeò beatam illam æternæ salutis vitæq; spem te obtestor Bellar. vide, judica, dic, enuntia: annon est ipsissimus, Papa vester, Antichristus? Nam fallet profectò, fallet vos cum æterno luctu & ignominiâ spes atq; exspectatio vestra, si deinceps alium opperiemini ἐρχόμενον τὸν ἀντίχριστον. Similiter ut Judæos sua spes & opinio frustrabitur, quâ ἕτερόν τινα χριστὸν sive מַשִּׁיחַ προσδοκῶσιν. At ne vivam, ni ita est. Quemadmodum isti alium exspectando Messiam, præsentem neglexerunt atq; obstinatè contemserunt: Sic vos Pontificij, alium Antichristum circa extremum Mundi finem venturum dum exspectatis (eumq; spurium ac nothum, i. falsum) præsentem verum otiosè negligitis, vosq; in ejus detineri carcere compedibusq; non animadvertitis miseri. Scilicet aversabantur Iudæi CHRISTVM nostrum, ut nimis simplicem, minimeq; politicum ac strenuum: Amplectimini vos Antichristum imprudentes, & colitis, ut nimis religiosum & sanctum, maximâ præditum autoritate ac potestate in omnes & singulos. Exspectatis ergo quidem utrique: sed quid exspectetis aut exspectare debeatis, certè nescitis. Exspectant Iudæi CHRISTVM; sed eum nunquam videndum, nisi tum, quando id fore majoribus ipsorum coram prædixit ipse Salvator, Luc. 22. v. 69. Exspectatis vos Antichristum, quum debeatis jam singulis momentis exspectare CHRISTVM, ad jus universo terrarum Orbi dicendum, sententiamq; extremam promulgandam sese accingentem. Reverâ enim dies ille novissimus & hora appetit, jamq; præ foribus est, quum DOMINVS de cœlis degenerem isthunc Servum, malum famulitij ædisq; Dominicæ Dispensatorem, πλήκτην ac turbatorem,

rem, inopinato adventu opprimet, fulmine caput ei dividet, partemq; ejus cum damnabili reproborum sentina ponet. Luc. 12. v. 46. & Matth. 24. v. 50.

Quare sapiant tandem, quotquot omne nondum exspuêre cerebrum; ac relinquant, abnegent, abominentur Antichristici societatem Capitis: & contrà, soli Ecclesiæ Vniversalis Capiti ac Sponso, soli Vineæ suæ hæredi, soli domûs suæ Rectori, soli castrorum suorum Duci & Imperatori Opt. Max. Iustitiæ Soli, & Salutis autori unico, CHRISTO, pareant, obsequantur, adhæreant. Tuq; adeò BELLARMINE senex, age descende intra te, & ad rectam mentem veni, ab errorum barathro resili, pedem pariter illum tuum in cymbâ Charontis penè hærentem retrahe, atque abstine à tam impio Pontificiis tui, pro CHRISTI Vicario venditandi defensandiq; instituto & patrocinio: agnosce Ecclesiæ vestræ, vanâ antiquitatis opinione tumentis, Patrumq; sese consensu temerè jactitantis, absurditatem: audi, quid Spiritus Sanctus in sacrâ Scripturâ loquatur, ac mitte Scholasticorum cothurnos, & avitarum traditionum somnia. Vide, quam super arenam vestra domus (cujus scilicet Papa Rector est) constructa, quantam minitetur ruinam, undis iræ Divinæ jamjam ingruituris, impetumq; facturis. Quin odorare lacum istum fœtidum, sulphure ac pice flagrantem stygiâ, quem furor æterni Numinis super impios & desperatos hypocritas accendet, arsurum usq; in inferni novissima. In eum ne tu quoque Roberte Bellarmine, cum omnibus Papis tuis, tam malæ fidei possessoribus, olim præceps eas; maturè siste gradum, & quo loco salus versetur tua, circumspice. Quodsi omninò perrexeris, & eâ re in æternum malum incideris, Homericus

mericus ille in te convenerit ὀνειδισμὸς, *quo Pallas AEgisthi, scelera sua* ὑπὲρ μόρον *admissa luentis, pœnas apud Iovem comprobat, his verbis: Odyss. α.*

ὦ πάτερ ἡμέτερε Κρονίδη, ὕπατε κρείοντων,
καὶ λίην κεῖνόσ γε ἐοικότι κεῖται ὀλέθρῳ.
ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

F I N I S.

Ad Reverendiss. à Papa Patrem, Ec. Rom. Cardinalem

ROBERTVM BELLARMINVM, Iesuitarum facilè Principem.

EN tibi, quale dari pridem Roberte petisti,
Do nomen, numeris & conditionibus æquum
Conveniens q̃ suis! tandem ergo agnosce nefandum
Antidei numen, nec non effabile nomen.
Nempe DeI fILI ille VICarIVs audit, & ipso
Hôc se Antichristum planè arguit. an dubitas? en
CLaVDIVs iste etiam vester (scelus) æthera claudens
(Qui si aqVa, non aqua viva; maris sed mortui ab Or-
Vena venena vehens:) regnis inoletus Iberis, (co est
Clavos in titulis & sancti vulnera JESV
Iactat. at ô diram terris exscindito pestem,
Non ita ab impuris JESV temerande Suitis!
Si pote BELLARMINE, pedem maturiùs effer
E castris Satanæ. si non; Belial minùs imo
Sub Phlegethonte licet, CHRISTO olim vindice, pœnas.

ΤΕΛΟΣ.

Δόξα μόνῳ τῷ ΧΡΙΣΤΩ ΙΗΣΟΥ.

Quem quia talem Papa negat, qualis ab Apostolis prædicatus est, ex eo vel maximè Antichristus esse depræhenditur.

APOSTRO-

APOSTROPHE
AD SALVATOREM

Nominis sui sanctissimi, in vanum à IESVITIS assumti, Vindicem.

AT Te, dolis Sinonia tandem, vindice,
Ars cesset, (ô IESV bone,) & ultrà credulum
Circumvenire agmen facessat isthæc
Relligiosa colore techna ficto.
Quam fabricatus Pluto sub umbris inferis,
Non ulla (dixit) machina nostris aptior
Est institutis: esto solùm (id opto)
Artifices simulare doctus iron
Voltûs! statim sese stratiota ex ordine
Quidam penetrans, IGNATIVM quem LOIOLAM
Dixére: is & palmam levem petendo,
Seq́ suo pede mettendo & astu,
Vltrò adfuit, fraudesq́ doloso moliens
Gestu, cucullam sumsit, & æternum sibi
Mentitus est nomen, suos sodales
Participes faciens benigni IESV.
Is claudicans lævùm, minimè recto pede
Ad veritatem Evangelij inceßit: tamen
Ita molliter mimus librare gressum,
Dißimulareq́ claudicationem
Callebat, ut rectum indogredi, & neutri mag' inclinare jurares lateri, exemplo unici
Magistri Heri DEIq́ nostri IESV.
Ad superas iter indicantis oras.

Quid multa? Vanis crevit opinionibus
Isthæc Cucullæ, & religiosum nominis
Schema, ut sibi Divinitatis, omni
Ordine sanctior, arrogare laudem
Impunè posset. Vicerat hîc Satan; meiq;
Iste Antichristi gloria (fatur) prima erit.
Dictumq; factumq;! autor en Iberis
Præpositum generalem eum esse in oris
Decernit. ô Lupopilio populo Ilio!
Non is amore DEI: ede Sinon Româ, Solo
Dolos seres, *idola tetra:* nata
Signifero mihi more fingis atan.
Malè feriatus ille Satelles Cliducis
Romanici, magnam sibi legit complicum
Sagax manum, ac totam suis replevit
Hesperiam Italiamq; fratricellis.
Nec institutis defuit atratus suis
Pluto; hôsce momentum fore magnum in Ordine
Cernens, subinde extrusit illum & illum,
Præpositi loca sicubi vacarent.
Nam Lojolæ huic Lagnesius; isti Borgia
Suggestus: illi Claudius Ignati vetus
Assecla successit, suasq; dudum
Instatione vices tuetur acer.
Ludis in horum educta Sophistarum, acrium
Velut locustarum agmina, ranarumq; rau-
carum Orbis in sinus profecta, passim
Virus edax q; loquax q; ab ore promunt.
Ludo ex eo progressus in armis strenuus
Robertus ille, &, mille alij, pulchrum quibus
Visum, suo arma pro Antichristo, & istis
Sumere hypocritice novis Deastris,

Imo

Imò omnibus mens & studium est idunicum,
Vt scita sacra Evangelij, Lutherico
Labore suscitata, rursus umbris
E Stygecontemerent tenebriones.
At Te dolis Sinonia tandem vindice
Ars cesset, ô JESV bone, & hanc Compagniam,
Ecclesiæ quate tuæ Monarcham
Depreciat malesana honore, perdas.

(Distichon recurrens:)

Laus tibi sit pie nunc, IESV, & per sæcla, Supremi
Alma PATRIS Soboles, Spes mea & auxilium.

Andreas Helvigius Fridlandensis Megapolitanus.

EPIGRAMMA ad Autorem.

Andreas Helvigius Friedlandensis Megapolitanus

Ἀναγραμμ. aspiratione per A mutatâ.

Romana Larva signa didis: Lupus ladens se fingit.

Resolutio.

LAuriger HELVIGI Vates, tua tempora quondam
Latis Aonia viridi redimita corollâ
Dia dedit Rectrix Musarum Pallas in hortis.

Est aliquid; levidense tamen; terrena corolla
Scilicet, athereæ non æquiparanda, notare
Iustitiæ titulo quam Divus Apostolus audet,
Quamq; boni fatur certaminis esse brabêum.
Hoc tecum tacito nuper sub pectore volvens
Tandemq; ulteriùs decus immortale vigoremq;
Elysij versans diadematis illius, eugé
Eugé, ais, una mihi jamdum depôsta corona est;
Vilis at, & quondam (fragilis quia) disperitura:
Ast agè & alterius, quam pagina sacra reponit,
Affectanda mihi quoq; copia: Quis vetet ergò,
Quò minus iùs jungar, Christi qui signa sequentes
Pectore magnanimo divini Flaminis arma
Diros contra hostes genuini Christicolarum
Agminis arripiunt, & eorum tela retorquent;
Nec minus assuescam similes tolerare labores
Sacri Mavortis, salvantia scripta tuendo?
Hæc tecum: Mora nec te retrahit, at citò diæ
Scuto armaturæ fretus quoddam edere tentas
Conatus specimen: nec certè vilia tentas.
Hisce etenim LARVAE ROMANAE SIGNA ubi
DIDIS,
Inde Anti Christiq; notas & tempora monstrans,
Ipsum me hercle Caput tumidos q; illius honores
Acri mente petis Christjanis fata minantum.
Scilicet hæc hæc est atrox ea Bestia, LAEDENS
Quæ quamvis LVPVS ut Christo emptas inter ovi-
clâs
Sæviat, impigrum SESE tamen atq; fidelem
Pastorem vocat, & fraudis pia verbula FINGIT;
Ipse ego sum Christi bonus ille Vicarius, inquit,
Divi qui tanquam Petri successor in hisce
Terris Christi adum regit & benè pascit ovile.

Rem,

Rem, dico, magnam tentâsti, quæq́;, Lycēi
Noſtri ubi Theologis Patribus cenſenda dabatur,
Ingentis ſtudii magniq́; eſt dicta laboris,
Dignaq́; quæ primo mandetur tempore prælo.
Perge ita ſub ſignis, HELVIGI, fortiter iſtis
Chriſti contra hoſtes enſem vibrare ſacratum;
Et ſic conatus ſpe non fruſtraberis; atqui,
Quod nunc affectas, aliud tete Auſpice CHRISTO
Laurigerum tandem reddet diadema perennem.

Vitebergæ faciebat
Samuel Rodolphus Gryphenhag. Pom.
SS. Theologiæ ibidem Studioſus.
anno 1612.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0075
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0076
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0077
DFG

[67]

Meretricis Babylonicæ Poculum,

quod per ipsam Antichristo Romano propinat

SATANAS.



A LVCO POCVLA.
ARA CARA
SIT ANNATIS.
EMAS AME
SACRAS ARCAS.
MISSA PASSIM
AERA SVBIGE LEGIBVS ARAE
MISSAM A MAVSIM EMI SVAM AMASSIM.
IVRES IESVS! EI SERVI
ORE FICVLNEO. EN LVCIFERO
AGRI VER EDIS! TVA, PAPA, VT SIDERE VIRGA
NATAS E ROMA TERRET AMORE SATAN.
O BIBE AD ME ROMAE AMOREM! DA, EBIBO.

SIGNA TE, SIGNA TEMERE, ME TANGIS ET ANGIS:
ROMA TIBI SVBITO MOTIBVS IBIT AMOR.
AERA SVBI ROMANA SEDES: AN AMORIBVS ARAE
SEPOSITAE (DIVOS O VIDEATIS) OPES?
E ROMA TETRA MALA PAPA PALAM ARTET AMORE!
SOLAMEN MOTI REXERIT OMNE MALOS.
IRATONE GERAS (NEGA AGENS) A REGE NOTARI?
SERTA LAVES: ALIBI SIBILA SAEVA LATRES.
EN OPERAM! RASIS IRRISIS ARMA REPONE:
OMNIA SI VERE DEDERE VIS ANIMO.
SED VAGA LVCE (SATAN) E NATA SECVLA GAVDES
MARTE PERIRE, FEROS ORE FERIRE PETRAM.
SIGNIFERE ROMA (VT SVA LAVS TVA) MORE REFINGIS:
SI REPARES ANIMO NOMINA SERA, PERIS.
SERTA DA CAVTE NE TVA CADAT RES.
I VICARIE, DIRA RIDE IRA, CIVI.
SEDE, SED NE VENDE SEDES.
SERIVS E REGNO CONGERES VIRES.
ORE VANO DA NOBIS: I, BONA DONAVERO?
EBIBE, MVNI VI SEDES: I, VINVM EBIBE.
MERO RVFIDAN, EN ADIFVRO REM!
SIT ROMA SVA CAVSA MORTIS.
O LVPOPILIO, ILI POPVLO
EDIC, COAXA, OCCIDE:
VT EGO CIVI, COGE TV.
SATANAE NATAS
EDVCE PICE, DECIPE: CVDE
SOLO DE LATIO ITALE DOLOS.
SEDVCIS, SI CVDES
ARTE TETRA
SINONIS.
VNA MANV
TELA SERES: ALET
ET TE
EREBVS VBERE.
I LATERANE NARE TALI.
O ITALI NATI TITANI LATIO:
SVMITE PALLIA ILLA, PETIMVS.
SACRAS ITA EMITE, NE TIMEATIS ARCAS.
SERO MEAS SIMONIAS! AIN? O MISSAE MORES!
ROMA TEPAΣ, VBI DE SEDIBVS ARET AMOR.
SERVS EXVL, I E DOMO DEI. LVX ES? VRES.
MALA PESTIS (EN OPERA REPONE) SIT SE PALAM.
VIDE RVINAM MISER E FOVEA (ÆVO FERES IMMANI) VRE DIV.
A SATANA MERVM, E LEMVRE MANAT ASA.

EREBI BESTIA.

AIT SE BIBERE.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0078
DFG

Universitäts-Bibliothek Rostock



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0080
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0084
DFG

Rem, dico, magnam tentâsti, quæq;
Nostri ubi Theologis Patribus censen
Ingentis studii magniq; est dicta laborib
Dignaq; quæ primo mandetur tempor
Perge ita sub signis, HELVIGI, fort
Christi contra hostes ensem vibrare sacrat
Et sic conatus spe non frustraberis; atqui,
Quod nunc affectas, aliud tete Auspice C
Laurigerum tandem reddet diadema pere

Vitebergæ facie
Samuel Rodolphus Gryphenh
SS. Theologiæ ibidem S
anno 1612.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757606970/phys_0085
DFG